BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
B
63
NAPOLI

XLI
B
63

NICOLAI REUSNERI JC.

COM. PALATINI CÆS.

SYMBOLORUM HEROICORUM

LIBER SINGULARIS:

In quo Impp. Cæſarum Auſtriacorum, Regum, Principum, Comitum & Baronum, inprimis Germanicorum, Symbola magnâ rerum & ſententiarum varietate atq; elegentiâ leguntur.

Opus verè Heroicum, & heroicorum ingeniorum lectione dignum.

Cum Privilegio CÆSAREO & SAXONICO.

JENÆ

Sumtib. & Typis Chriſtophori Lippoldi.

ANNO M. DC. IIX.

NAPOLI

SERENIS. CELSISS.Q.

Principi ac Domino

Dn. CHRISTIANO II.

DUCI SAXONIÆ

SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET SEPTEMVIRO

LANDGRAVIO TURINGIÆ,

MARCHIONI MISNIÆ,

BURGGRAVIO MAGDEBURGICO

HEROI

RE SPE NOMINE OMINE

CHRISTIANO

Domino ſuo Clementiſſimo

hanc

Symbolorum Heroicorum Amaltheam

MESSIS NON TAM SUÆ QUAM FRATERNÆ

SPICILEGIUM HUBERR.

ELIAS REUSNERUS L.

HIST. ET POET. IN SALANA PROF. PUB.

Devotiſs. OBSEQUII MON.

D. D. D.

In Symbolum
Dn. CHRISTIANI II.
DUCIS SAXONIÆ
ELECTORIS,
Time Deum: Honora Cæſarem,
Diſticha Anagrammatica duo.

I.

CHRISTIANUS SECUNDUS, ELECTOR SAXONIÆ, ET SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCALLUS.

Lux ſincera, TIMENS CHRISTI, vir CÆSAREM HONORANS
Ritè, ô re dulci pacis amica ſalus.

II.

CHRISTIANUS SECUNDUS, ELECTOR SAXONIÆ, LANDGRAVIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ.

Eja vige in CHRISTI CVLTV, DVX CÆSAREM HONORANS:
Non duri ab regni ſis & amica ſalus.

Elias Reuſnerus L.

I

SYMBOLA HEROICA.

IMP. FRIDERICI III. CÆSARIS.

A. E. I. O. U.

Siritè lectus, aut ſit à Deo datus
Princeps; Deus velut alter, aut magnus Dei
Legatus: invictus verè hic & ſanctus eſt,
Victor triumphatorqúe felix & pius.

Sic AQUILA ELECTA JUSTE VINCIT OMNIA.

MAgiſtratu legitimo nihil eſt ſanctius, nihil divinius, nihil ad victoriam in bello & pace conſequendam præſtantius. Cujus inſigne eſt AQUILA, avium Regina, & miniſtra fulminis, teſte Flacco: à quo ipſa tamen ſemper tuta & ſecura eſt, tanquam Jovis ales: quæ omnium gentium conſenſu, cùm imperii & regni, tum felicitatis & victoriæ divinitus, quaſi de cœlo miſſæ, manifeſtū augurium dediſſe quàm plurimis exiſtimatur: quod Midæ, Ægonis, Hieronis, Tarquinii, Marii, Octaviani, Claudii, Aureliani, Maximi, & aliorum Principum exemplis compert eſt.

IMP. MAXIMILIANI I. CAESARIS.

Alſzeit mit Hut.

Quidquid facis, prudenter hoc fac: & bonâ
CUM CAUTIONE TEMPUS OMNE *tranſige.*
Cavere qui neſcit, gerere is neſcit benè:
Fruſtra omne ſumit tempus ac negotium.

CAvendi nulla eſt dimittenda occaſio: inquit Pub. Syrus in Mimis. Nam, ut idem canit,

Animus, vereri qui ſcit, ſcit tutò aggredi.

Semper enim metuendo (id eſt, cavendo) ſapiens vitat malum. Nam inimicum quamvis humilem docti eſt metuere, ſecundùm Senecam. Quod & Plautus in Sticho monet: *Pridie ſemper caveas: ne facias hodie, quod pigeat poſtridie.* Quò etiam alterum ejuſdem Cæſaris ſymbolum pertinet: TENE MENSURAM, ET RESPICE FINEM.

MENSURAM ſapiens TENE, ET unà
RESPICE FINEM:
Finis ut in rebus, ſic modus eſſe ſolet.

IMP. CAROLI V. CAESARIS.

PLUS ULTRA.

Qui vult iter virtutis ingredi; decet
Hunc progredi, non regredi.
Nam melius eſt, quod eſt ULTERIUS: *indies*
Meliora ſic fas eſt ſequi.

PRogredi in viâ virtutis, non regredi, ſemper laudi fuit habitum: quod qui facit, indies evadit melior: ac ſeipſum tandem hoc modo vincit: quæ omnium victoriarum pulcerrima & honeſtiſſima eſt, auctore Platone. Macte igitur virtute atque gloriâ CÆSAR Opt. Maxime: qui tot & tantis rebus, bello & pace geſtis, nullo unquam tempore regreſſus; ſed progreſſus ſemper

PLVS VLTRA Herculeas Calpen & Abilamque columnas,
CAROLE victoris nobile nomen habes.

De eodem Symbolo:

Cæſaris imperium PLUS ULTRA, *Cæſaris arma*
PLUS ULTRA *tendunt Solis utramq; domũ.*
PLUS ULTRA *imperiũ*, PLUS ULTRA *ſidera nomẽ,*
PLUS ULTRA *tendit regna corona Jovis.*

Joan. Ramus.

IMP. FERDINANDI.

CÆSARIS.

FIAT JUSTITIA, ET PEREAT MUNDUS.

Pax populi, patriæq́ue ſalus, & gloria Regis
JUSTITIA eſt: SINE quâ MUNDUS & ipſe PERIT.

SUmmum in Regibus bonum eſt JUSTITIAM colere: ut Gregorius ſcribit in Moralibus. Juſtitia ſiquidem Regis, ut idem loquitur, pax eſt populorum: tutamen patriæ: immunitas plebis: temperies aëris: ſerenitas maris: terræ fœcunditas: ſolatium pauperum: cura langvorum: gaudium hominum: hæreditas filiorum: ipſi denique Regi ſpes futuræ beatitudinis. Sic Euripides in Helenâ:

οὐδείς ποτ᾽ εὐτύχησεν ἔκδικος γεγώς:
ἐν τῷ δικαίῳ δ᾽ ἐλπίδες σωτηρίας.
Nullus vir eſt felix, injuſtus qui manet:
In juſtitiâ ſalutis eſt ſpes unica.

EJUSDEM.

ACCIDIT IN PUNCTO, QUOD NON SPERATUR IN ANNO.

Temporis in puncto qui ſapit, ille ſapit.

IMP. MAXIMILIANI II. CÆSARIS

DOMINUS PROVIDEBIT.

Solus ſpes DEUS *eſt meæ ſalutis:*
Fatum nil ego curo, nilq́ue ſortem.
Sors utcunque maligna me fatiget;
Confido: DOMINUS*q́ue* PROVIDEBIT.

PRinceps ſummus ille Deus, omnia ſuo nutu & imperio regna in mundo adminiſtrat: idemq́; curâ & providentiâ ſuâ ſingula moderatur & gubernat: in quo uno ſpem omnem ponere ſalutis & felicitatis, nec prudentię nec virtuti ſuæ multũ confidere, multoq́; minùs aut fatum aut fortunã invocare, tanquam numen quoddam ſalutare, longè tutiſſimum eſt. Quomodo & anxius ille pater Abrahamus, Iſaacum filium unicũ & unicè dilectũ, ipſius Dei imperio atq; juſſu, in monte Moria mactatur⁹: ſpe liberationis certâ, & animi fiduciâ exploratâ: DOMINUS (inquit) PROVIDEBIT. Gen. c. 22.

IMP. RUDOLPHI II. CÆSARIS.

Ante ſuſceptum Imperium.

OMNIA EX VOLUNTATE DEI.

Quæ fiunt, fieri OMNIA EX *benignâ*
VOLUNTATE DEI, *pium atq; fas eſt:*
Qui, quod vult, facit omne proſperatq;,
Ceu Rex Maximus Optimusque Regum.

MOnemur hoc ſymbolo, voluntatẽ noſtram ſemper voluntati divinæ ſubjectã eſſe debere. Nam *ſeipſum decipere, omnium facilimum eſt,* teſte Demetrio. Semper autem Dei voluntas optima eſt: quippe quæ nihil eſt aliud, quàm lex ipſa Dei, vel potiùs ipſe DEUS, teſte Auguſtino: quæ idcircò in omnibus operibus noſtris meritò attendenda eſt. Enimverò magni profectò eſt animi, voluntatem ſuam divinæ accommodare voluntati: & ad hanc omnia conſilia omnesq; actiones & cogitationes ſuas conformare: & in eâ omnem ſpem fiduciæ & ſalutis ſuæ collocare. Siquidem, ut Bernhardus ait, *nihil niſi à Deo ſperare, & nihil quærere niſi Deum, ſingularis perfectionis eſt.* Econtra autem *ſpem in creaturâ ponere, de creatore deſperare eſt*; ſecundùm Gregorium.

IMP. RUDOLPHI II. CAESARIS.

Poſt ſuſceptum Imperium.

A. D. S. I. T.

DE myſtico hoc Cæſaris ſymbolo, cujus vera & germana interpretatio ignoratur, varii variè ariolantur vel potiùs ominantur. Ex quo genere ſunt ſequentia.

Auxilium Domini Sit Iniquis Terror: id alta Symbola portendunt Cæſaris: ADSIT, *ait.*

*

Auxilium Domini Sit Iniquis Terror, Aſylum Depreſſis, Sanctis Juſtitiæque Thronus.

*

Auxilio Domini Sim Juſtis Tutor Amicus, Defenſor Solii, Juſtitiæque Tenax.

*

Maxima regnorum cum moles me premat:
ADSIT.
A *uxiliũ Domini, qui mundũ temperat:* ADSIT
D *exteritas dandi ſuffragia quælibet:* ADSIT
S *obrietas, ex quâ ſapientia naſcitur:* ADSIT
I *uſtitia, Imperii nervus, columẽ, decus:* ADSIT
T *heſaurus virtutum omnis me Cæſare dignus.*

PHILIPPI I. REGIS HISPANIÆ.

DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM.

DISCITE JUSTITIAM, *nec divos ſpernite,*
TERRAM
QUICUNQ; JUDICATIS.
Judicat injuſtè quisquis, malè judicat: æqui
Contemtor ac deorum.

PHilo Judæus in libro Sapientiæ ſic alloquitur Reges & Principes: *DILIGITE JUSTITIAM JUDICES TERRÆ: timete Dominum; & cum bonitate ac ſimplicitate animi eum quærite.* Nimirum hæc prima & præcipua eſt civilis gubernationis regula, monens DEUM quærere, & amare juſtitiam: quarum rerum perpetua quædam eſſe debet connexio; pietatis ſcilicet & juſtitiæ. Siquidem auctore Tullio, *Pietate erga Deum ſublatâ, fides etiam & ſocietas generis humani, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollatur, neceſſe eſt.*

PHILIPPI II. REGIS HISPANIÆ.

NEC SPE, NEC METU.

NEC SPE, NEC te flecte METU: ſis pectore conſtans:
Ac jus pro merito redde cuiq; ſuum.

SUmmę prudentię eſt in bono Principe, NEC METU frangi, NEC SPE ſupra modum erigi: quod utrumque oritur ex diffidentiâ, quæ multorum ſæpe malorum cauſa eſt in Republicâ. Qualem nobis Principem Pindarus ſuum deſcribit Hieronem: quem ſapienter ferre ait pręſentem fortunam, nec ſpe corrumpi, aut metu debilitari. Adeo verum eſt Publiarium illud,

Effugere cupiditatē, regnum eſt vincere.

Porrò in numis Philippicis alterum utriuſque PHILIPPI legitur Symbolum ex Pſalmo 118. DOMINUS ADIUTOR MEUS.

Si DOMINVS MEVS ADIVTOR, quos ergo timebo?
Deſpiciam ſi quid turba inimica parat.

PHILIPPI II. cogn. AUGUSTI, REGIS GALLIÆ.

HIC REGIT, ILLE TUETUR.

Quid gladius monet ac liber? HIC REGIT ILLE TUETUR.

Rex bonus emineat Martis & Artis ope.

LUDOVICI XII. REGIS GALLIÆ.

PAX HUMILI, SUPERBO BELLUM.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Hiſtrix exemplo nos docet iſta ſuo.

Pictura ſymboli eſt HISTRIX; aculeos ſuos inſtar ſagittarum ejaculans adverſus canes latrantes, & ſibi infeſtos. De quo extat Bloſij illud in marmore ſub imagine HISTRICIS:

Spicula ſunt HUMILI PAX *hæc, ſed* BELLA SUPERBO:
Sic vita ex uno vulnere, morsq; venit.

Cui hoc noſtrum reſpondet Emblema:

Spinis miſſilibus canes viroſque
Hiſtrix eminus ipſa provocantes
Arcet: nil aliis parans nocere,
Mites quos juvat eſſe vel quietos.
Subjectis bonus, at malis ſuperbus
Princeps eſſe velit: metu coercens
Pœnæ crimina multa, pauca pœnâ:
Sic ut fulmina rara, cum neceſſe eſt,
Invitâ jaciat manu ſeverus.

FRANCISCI I. REGIS GALLIÆ.

NUTRISCO ET EXSTINGVO.

Flamma cui vitam Salamandra, huic denique mortem
Reddit: deterius perimit, melioreque vivit:
VIRTVTI ſic INVIDIAM quoque CEDERE fas eſt.

SAlamandram tanto frigore prædi-tam eſſe ſcribit Plinius: ut ignem, ceu glacies, vi ſuâ exſtingvat. Quin imò in flammâ eam vivere, in eâque ali & nutriri, vulgò creditur. Quo ſymbolo uſus eſt FRANCISCUS Valeſius, Rex Francorum, addita hac inſcriptione: NUDRISCO IL BOVONO, ET SPRENGO IL REO: id eſt, Alor meliore, deterius perimo: virtuti ſic invidiam cedere ſignificans: teſte Cl. Paradino in Symbolis Heroicis.

HENRICI II. REGIS GALLIÆ.

DUM TOTUM COMPLEAT ORBEM.

Ceu facies Lunæ, ſic eſt Eccleſia Christi:
Creſcit, decreſcit: Regis quam cura tuetur
Fida boni: DONEC TOTUM ſic
IMPLEAT ORBEM:
Cum Rex & grex unus, & unum fiet ovile.

SYmbolum hoc ita explicat Cl. Paradinus: Prodigio (inquit) ſimile fuit quondam præſtantiſſimi Francorũ Regis Henrici II. lunâre incrementũ: quo ſymboli loco poſtea uſus eſt: ſignificans Eccleſiã, quæ in ſacris literis paſſim Lunæ comparatur, in uno & eodem ſtatu non permanere: ſed Lunæ inſtar creſcere ac decreſcere: & cum hoſtibus ſuis perpetuũ certamen habere: cui tamen certum ipſi ſpondeat auxiliũ & præſidiũ: donec tandem eâ ſub unum Deum, Regem unũ, unam legem receptâ; ſplendor eius, ac ſpectabilis gregis ſui cætus, & ovile ab uno paſtore gubernetur.

FRANCISCI II. REGIS GALLIÆ.

UNUS-NON SUFFICIT ORBIS.

UNUS Pellæo juveni NON SUFFICIT ORBIS:
Dum cupit eſſe Deus, deſinit eſſe Deus.

SAtyricum illud hemiſtichium, UNUS NON SUFFICIT ORBIS, Alexandro Magno, terrarum (ut Lucanus ait) furiali malo veluti ereptum, adſcribi ſibi, duobus depictis globis, ipſe Rex FRANCISCUS II. voluit: ut arrogantiâ & ingenio, ita fato & ſucceſſu illi haud diſpari. Nam uterque hic dum

Æſtuat infelix anguſto limite mundi:
Occurrit ſuprema dies: naturaq; ſolum
Hunc potuit finem væſano ponere Regi.

CAROLI IX. REGIS GALLIAE.

PIETATE ET JUSTITIA.

Qui PIETATE Deum ſibi, IVSTITIAQVE popellum
Conciliat; regnum Rex beat ille ſuum.

PRincipis ſummæ & longè maximæ virtutes ſunt duæ: Pietas nimirum & juſtitia: quarum illa DEUM, hæc homines conciliat: utraque felicis & fortunati imperij cauſa eſt, & ad æternitatem via quædam compendiaria. Nam & *penes Deum, qui ſummus rerum omnium Princeps & Dominator eſt, nec pietas ſine juſtitiâ, nec juſtitia ſine pietate eſt*, auctore Chryſoſtomo. Sic & Iſocrates Principes & Reges plura auferre bona à Deo & hominibus dicit eos, qui vivunt (ut ipſe loquitur) μετ' εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης.

Iuſtitia & pietas validæ ſunt Principis arcis:
Nulla tyrannorum vis diuturna fuit.

Cæterū in numis eiuſdem Regis anno M.D.LXXII. ſignatis, hæc leguntur ſymbola:

ÆTERNA QUÆ MUNDA.

NIL NISI CONSILIO.

CONSTRICTA HOC DISCORDIA VINCLO.

NULLIS FRAUS TUTA LATEBRIS.

Mira fides, lapſas retinet manus una columnas.

HENRICI III. REGIS GALLIAE ET POLONIAE.

MANET ULTIMA COELO.

Quæ floret ſine ſine pijs, MANET VLTIMA COELO:
Marcet at in terris parta corona duplex.

SYmboli huius ſententia quę ſit, optimè hoc epigrammate expreſſiſſe videtur Guil. Paſchaſius.

Gallica Gallorum tibi dat natura coronam:
At meruit virtus Gallica Sarmaticam.
Nec duplici tantùm gaudes: MANET VLTIMA COELO.
Sic unum cinget trina corona caput.
Scilicet ut vivo virtus dedit ampla Poloniũ:
Defuncto dabit hæc, ut mereare polum.

Perhibetur & alterum eiuſdem Regis Symbolum Maronianum: NEC METAS RERUM, NEC TEMPORA PONO. Itemq; illud ex Salomonis Proverbijs c. 21. COR REGIS IN MANU DOMINI..

EDOVARDI VI. REGIS ANGLIÆ.

TIMOR DOMINI, FONS VITÆ.

FONS VITÆ, DOMINI TIMOR eſt: qui vincere felix
Optat; cura ſit huic una, timere Deum.

✱

FONS VITÆ TIMOR eſt DOMINI, & ſapientia prima:
Vt rectè ſapias, diſce timere Deum.

PRæclarè Salomon paſſim in Proverbiis: *Timor Domini* (inquit) *vitam adfert & ſaturitatem. Timor Domini cor delectat, & auget lætitiam, & longum prorogat vitæ ſpatium.* Sic & Syracides in Eccleſiaſtico: *Timor* (ait) *Domini, fons & principium eſt felicitatis.* Item: Metus DEI, eſt vera ſapientia, & diſciplina vera. Time ergo Deum, qui ſuper omnes eſt, & hominem non formidabis. Hinc rectè Poëta Ethnicus:

Tutiſſima res, timere nil, præter DEVM.

HENRICI IIX. REGIS ANGLIÆ.

PER CRUCEM TUAM SALVA NOS CHRISTE REDEMTOR.

PER CRUCEM SALVA bene
NOS REDEMTOR
CHRISTE: nam ſpes eſt ſine te ſalutis
Nulla: tu ſolus bonus ille SOTER,
Tu dator vitæ, dator es ſalutis.
Mors ſalutaris tua, vita noſtra:
Sancta crux ſemper tua, noſtra laus eſt.

CRux Christi, fons vitæ eſt, auctore Chryſoſtomo. Eadem crux verè eſt (ut Damaſcenus loquitur) clavis Paradiſi, infirmorum baculus, paſtorum virga, manuductio convertentium, proficientium perfectio, omnium malorum averſio, omnium bonorum largitio, animæ denique ſalus & corporis.

Refert & alterum ejusdem Regis ſymbolum Cl. Paradinus; in quo eſt emblema raſtri militaris cum coronâ, additis his verbis; Securitas altera.

JACOBI REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ.

IN UTRUMQUE PARATUS.

Pacem oleæ ſignat ramus, bellum enſis acutus:
Rex IN VTRVMQVE bonus nempe PARATVS erit.

CHRISTIANI I. REGIS DANIAE.

SPES MEA CHRISTUS.

Quidquid erit, MEA ſemper erit SPES unica CHRISTVS:
Spiro per hunc, per & hunc ſpero pereune bonum.

Pietatis quidam grad⁹ eſt, teſte Auguſtino, fides & ſpes in uno Deo: quæ verus eſt Dei cultus, omniumq́ue bonorum fundamentũ, auctore Ambroſio: adeoq́ue petra infracta (ut cũ Chryſoſtomo loquar) & ſecura anchora piorum hominum: quæ niſi præcedat, vita beata non ſequitur; eodem teſte Ambroſio.

FRIDERICI I. REGIS DANIAE.

Gottes Wille geſchehe.

QVOD tu cunque DEVS VIS, hoc quoque FIAT: id opto
Unum: velle, Deus, tu precor eſto meum.

CElebratum eſt paſſim Diagoræ illud apud Sex. Empyricum: κατὰ δαίμονα καὶ τύχην πάντα τελεῖται: id eſt, Dei & fortunæ arbitrio fiunt omnia. Quippe, ſecundum Euripidem, τῶν ἄγαν μὲν ἅπτεται θεὸς, μικρὰ δὲ εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ: ſeu, ut Cicero hoc explicat, *res magnas curat Deus, parvas negligit, & fortunæ committit arbitrio.* Sed aliud nos Chriſtiana docet religio: quæ fortunæ nihil, voluntati divinæ adſcribit omnia, quam in omni re omninò ratam haberi fas & pium eſt. Nam, ut ait Accius apud Nonium, *haud facilè ſine deûm operâ propria humana ſunt bona.*

CHRISTIANI III. REGIS DANIÆ & NORVEGIÆ.

Ach' GOTT ſchaffe deinen Willen.

QVOD ratum VIS eſſe DEVS, RATVM FAC
Sponte. nam ſi quid volo, te volente
Hoc volo: fraudi mea ne voluntas
Sit mihi. Quod vis, DEVS, omne ſanctum eſt.

SCitum eſt Auguſtini illud: Dei voluntas, eſt ipſe DEus: vel, ut aliâs loquitur, conjux Dei. Quēadmodum & Pindaro θυγάτηρ ἀλάθεια Διὸς, filia Jovis eſt veritas. Nam voluntas Dei eſt ipſa Veritas: quæ quod in cœlo juſſerit, hoc in terris fieri neceſſe eſt. Rectè enim Poëta:

-- Immenſa eſt, finemq́, potentia cœli
Non habet: & quidquid ſuperi voluere, peractum eſt.

Et quoniam DEI voluntas ſemper bona ſanctaque eſt: optandum eſt profectò Homèricum illud: *ut ſit*

Talis mens hominum, qualis fortuna dierū: quæ ſcilicet divinâ ſic voluntate contingit mortalibus. Quod & Bacchylidæ illud monet: τοῖς ἀνθρώποις θυμὸς γίνεται θνητοῖς, ὁποίαν Ζεὺς ἐφ' ἡμέραν ἄγει.

FRIDERICI II. REGIS DANIÆ & NORWEGIAE.

Trew iſt Wildprat.

RARA FIDES AVIS eſt: fraus regnat ubique, doluſque:
FIDO DEO: ſic fraus nulla doluſque nocet.

VIgilandum eſt ſemper: multæ inſidiæ bonis ſunt: ut eſt apud Accium, referente Tullio pro Planco. Etenim FIDES in hoc tempore verè eſt, ut Poëta canit,

RARA AVIS in terris, nigroqúe ſimillima cygno.

Contrà autem doli mali & fraudis abundè eſt: & inſidiarum plena ſunt omnia: ut nihil cuiquam à quoquam ſit tutum: verumque eſt adeo illud, quod Q. Curtius dixit, nullis meritis perfidiam mitigari poſſe. Multò igitur magis expedit, benè timere, quàm malè fidere: ut Auguſtinus docet. Sed DEO tamen diffidere neutiquam fas eſt: &, ut Euripides loquitur, θεῷ ὀυκ ἀπιςεῖν εἰκὸς. Cæteroquin verum eſt Maronis illud:

Heu nihil invitis fas quemquã fidere divis!

CHRISTIANI IV. REGIS DANIAE & NORWEGIAE.

Alles von Gott.

Quæ ſuppetunt vitæ bona : A DEO OMNIA
Hæc ſuppetunt. nam fons bonorũ & auctor eſt
Supremus ille rector omnium DEUS :
Cum quo nihil malum, ſed omne ſit bonum :
Bonisque tunc cedit malum ſic in bonum.

SUmmum bonum DEUS eſt: qui fons eſt & cauſa omnis boni, ut Plato ait: quem qui habet, is habet omnia, teſte Auguſtino. Nam ut *bonus vir*, ſecundùm Senecam, *nemo eſt ſine Deo:* ita quidquid in mundo boni eſt, id OMNE A DEO eſt: ut Philo docet in Sapientiâ. Hinc M. Cicero pro Roſcio Amerino: *Commoda* (inquit) *quibus utimur; lucem, quâ fruimur; ſpiritum, quem ducimus; A DEO nobis dari, atque impartiri OMNIA videmus.* Sed &, ut Q. Calabri illud habet, ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια θεῶν ἐν γούνασι κεῖται: Neq; quiſquam hominum, ut eſt apud Theognidem, aut damni & lucri ſibi ipſe auctor ſit, ſed Deus, ſine quo nihil homini evenit vel boni vel mali, eodem Poëta auctore.

EJUSDEM.

REGNA FIRMAT PIETAS.

REGNORUM COLUMEN PIETAS: *quo ſtante vigebunt,*
At lapſante ſimul regna beata ruent.

GUSTAVI REGIS SVECIAE.

NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS.

NON NOBIS DOMINE hac, NON debita gloria NOBIS:
At ſi qua noſtra eſt gloria, tota tua eſt.

DEus eſt, qui regit in mundo et moderatur omnia: qui hominum commoda vitasque tuetur: à quo uno omnis eſt ſalus & felicitas: quam ipſe quidem ſpontè dat mortalibus: non, quia digni ſunt: ſed ut nomen Deo, per ſe quidem ſatis illuſtre, etiam per homines, quibus benefacit, reddatur illuſtrius: quoniam Deus benignus & verax eſt, ſecundum Pſalmum: *NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS, ſed nomini tuo da gloriam, propter miſericordiam & veritatem tuam.*

ERICI III. REGIS SVECIAE.

DEUS DAT, CUI VULT.

CVI VVLT, DAT DEVS: & cui non vult, non dat: ab uno
Nempe Deo regnũ, quod datur, omne datur.

SYmbolum iſtud ex Daniele ſumtũ eſſe apparet: qui amiſſionem imperij vaticinans Nabuchodonoſori Chaldæorum Regi: *Supremus ille Deus* (inquit) *in regno dominatur mortalium: & CVI VVLT, DAT illud:* Rex ſcilicet Regum, Dominus dominorum, Princeps Principum Opt. Maximus. Nimirum cujus imperium (ut poſtea ipſe fatetur Nabuchodonoſor) ſempiternum eſt imperium: & regnum eius tale, quod non corrumpitur: qui arbitratu ſuo, & cœlorum exercitu & terræ incolis utitur: nec quiſquam eſt, qui manũ ei⁹ impediat, aut ab eo facti rationẽ exigat: quippe cuius opera & facta omnia vera ſunt, & æqua & juſta.

JOHANNIS REGIS SVECIAE.

DOMINI EST SALUS.

In Domino ſperare DEO tutiſsima res eſt:
Quæ datur, à DOMINO vita SALVSque datur.

SYmbolo hoc in ſacris literis nihil eſt frequentius: quæ docent Domini eſſe ſolius, ſervare homines & ſalvare: unde & in Pſalmis paſsim Dominus Deus ſalutis, id eſt, Soter & Servator generis humani appellatur. Nam in filiis quidem hominum non eſt ſalus, ait Pſalmus 145: ſed *juſtorum SALVS A DOMINO eſt*, Pſal. 36. & DOMINI EST SALUS, Pſal. 3. ſeu, ut Jeremias Propheta loquitur, *In Domino DEO ſalus eſt:* qui virtus eſt ſalutis noſtræ, Pſal. 139.

CAROLI PRINCIPIS, SVECIAE,

G. I. M. E.

Gott iſt mein Erlöſer.
Gott iſt mein Erretter.

Tu MEA CHRITE SALVS: te ſalvatore redemtus,
Protegor à cunctis eripiorque malis.

JOHANNIS I. REGIS PANNONIAE.

SUA ALIENAQ. PIGNORA NUTRIT.

Quòd Lupa ſi SVA lacte ALIENAQVE PIGNORA NVTRIT;
Cur alijs non eſt, quod ſibi, ſolus homo?

PIctura Symboli eſt ex hiſtoriâ Romanâ: Lupa nimirũ, alienis catulis lac præbens: ſicut Romulum &Remum lupa educaſſe dicitur, cum hac inſcriptione: SUA ALIENAQUE PIGNORA NUTRIT. Quo docetur iſtud, etiam hoſtibus benefaciendum eſſe: adeoque proximum hominem à quovis diligendum, ac ſeipſum. Nam ſi quidem fortaſſis inimici cavendi, at diligendi ſunt, teſte Chryſoſtomo. Quoniam, ut ait Auguſtinus, *inimicos diligere, ijsque benefacere, ſumma eſt eleemoſyna.* Pulcrè etiam Fabius: Semper (inquit) odiorum honeſtus eſt occaſus: & dum ſimultates nihil aliud habent, quàm nocendi cupiditatẽ, ſpecioſa in melius mutatio eſt.

VLADISLAI REGIS POLONIAE ET PANNONIAE.

REGIUM EST VINCERE NON FUGERE.

Qui fugit, haud vincit, nec fert à Marte trophæum:
Regiâ laus non eſt vincere velle fugâ.

QUantum quiſque fugit, tantum timet, inquit Petronius Arbiter. οἱ δὲ ἀθυμοῦντες ἄνδρες οὔπω τρόπαιον ἔστησαν, auctore Platone. Etenim, ſecundùm Sophoclem, πάντα τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ. Itaque non niſi, ut Poëta canit,

Ardua ſolicitis victoria quæritur armis.

Nam trophæum ſic à forti viro ferre, pulcrum eſt: Si autem & vincatur, vinci à tali nullum eſt probrum, ut eſt apud Accium. Quod ita ſenſit quoque VLADISLAVS Rex: qui in prælio Varnenſi cum Amurathe Turcarum tyranno impari congreſſus militum manu: cùm jam inclinaret victoria: cæteris omnibus fugientibus, revocatus vi à quibuſdam ſuis ex prælio: ferox hoc modo reſpondit monitoribus: NON ESSE SANGVINIS SUI, VINCERE VELLE, & FUGERE. O generoſam mentem, & magno Rege dignam!

SIGISMUNDI I. REGIS POLONIAE.

TIBI ô DOMINE JUSTITIA.

JVSTITIÆ laus nulla mea, TIBI debita ſoli
Juſte DEVS: juſtos nos facis ipſe DEVS.

QUi verè humilis eſt, is omnem DEO laudem tribuit juſtitiæ, nullam ſibi: & cum Daniele c. 9. exclamat: *TIBI ô DOMINE JVSTITIA, nobis autem ignominia.* Quomodo & David Pſal. 71. *Domine* (inquit) *ſolius juſtitiæ tuæ recordabor.* Quem locum enarrans D. Auguſtinus: Cur *ſolius* (ait) *juſtitiæ?* Sufficeret ſanè, hoc, *juſtitiæ tuæ: Solius* verò prorſus dixit, ubi meam non cogito juſtitiam. Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Juſtitia tua Domine ſola me liberat: mea ſola non niſi peccatum eſt. Sic & Gregorius Magnus in Moralibus: Omnis humana juſtitia, injuſtitia eſſe deprehenditur: Si divinitus diſtrictè judicetur. *Solus* igitur *Jehova Deus juſtitia noſtra*, teſte Jeremia.

SIGISMUNDI AUGUSTI
REGIS POLONIAE.
PROTECTOR IN SE SPERANTIUM DEUS.

PROTECTOR eſt IN SE SPERANTIVM DEVS:
Sine quo nihil validum eſt hic & ſanctum nihil.

QUantus ſit amor DEI erga nos, & quanta cura atque ſolicitudo: abundè teſtatur Pſalmus CXXI. *Dominus* (inquit) *te cuſtodit: DOMINVS PROTECTIO TVA in prælio: Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem: Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.* Quàm bonum igitur & ſalutare eſt in uno Deo ſperare: qui ſolus piorum protector ac defenſor eſt: ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: ut liceat cum Bernhardo dicere: *Tu es Domine ſpes mea: ſi tribulatio infertur, per te ſperabo: ſi præmia promittantur, per te obtinebo: ſi inſurgat hoſtis, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat; non niſi in te uno ſperabo.* Dominus adjutor & protector meus: in quo ſperat cor meum: & à quo adjutus ſum: Dominus fortitudo populi ſui, & protector ſalvationum Chriſti ſui. Pſal. 28.

STEPHANI BATHORII
REGIS POLONIAE.
DOMINUS EXERCITUUM NOBISCUM.

Si DUX MILITIÆ DEUS ſupremus
NOBISCUM ſtat & Imperator, agmen
Cur hoſtile timendus extimeſcam?
Magnus tutor is omnium piorum eſt,
Pacis arbiter, arbiterquè belli:
Qui virtute ſuâ ſuos tuetur,
Munit præſidio, DEUS ſalutis.

IN manu DEI ſunt omnes exercitus: qui verè eſt armipotens, & Imperator omnium Deus: &, ut Pſalmus XLVI. loquitur, DOMINUS EXERCITUUM, Deus virtutum, & ſalutis Deus: cui nemo impunè reſiſtit aut adverſatur: quique munimento eſt piis omnibus ac præſidio: cũ opem eius & auxilium implorant. Nimirum

Hic & duelli, pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus:
Munimen & ſalutis ille
Præſidium DEUS omne noſtræ. Pſal. 46.

LVDOVICI IV. ELECTORIS PALATINI.

VINCIT VIM VIRTUS.

VINCIT VIM VIRTVS, robur ſapientia vincit:
Sic vis virtuti nulla nocere poteſt.

MAgna vis eſt virtutis, quæ & vim ipſam vincit. Nam, ut Pindarus canit in Iſthmijs, ἄτρωτοι παῖδες θεῶν, id eſt, viri fortes & virtute præditi: quos lædere haud facilè quiſquam poteſt: & ſecundum Naſonem,

Omnia deficiunt; animus tamē omnia vincit.

Neque enim, auctore Tullio, viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio, & auctoritate, & virtute: &, ut in Agathonis verſu eſt,

γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν, ἢ σθένος χερῶν: vel, ut Val. Flaccus ait,

— Sæpe acri potior prudentia dextrâ:

vel, ut alter ille verſus habet,

Ingenium vires ſuperat, prudentia robur.

FRIDERICI II. ELECTORIS PALATINI.

DE COELO VICTORIA.

DE COELO quæ miſſa venit VICTORIA pulcra:
Non vis, ſed virtus vincit in hoſte Dei.

Iudas Macchabæorum Dux in prælio animaturus milites ſuos: *Facile eſt* (inquit) *multos à paucis ſuperari: nulloque diſcrimine* Deus *in cœlo & cum multis vincit, & cum paucis: ſiquidem non in multitudine militum belli VICTORIA, ſed DE COELO fortitudo eſt.* 1. Macch. 3. Sic & Salomon Proverb. c. 21. Paratur ad pugnæ diem equus: ſed A Deo eſt Victoria. Nam, ſecundum Æſchylum, καλῶς τὰ πλείω πόλεμος ἐκ θεῶν κυρεῖ:

Plerumque bellum cum DEO cedit bene.

Ex quo & Pindarus: κρίνεται ἀλκὰ διὰ δαίμονα ἀνδρῶν. Ex Xenophon ἀναβας. γ. Neque multitudo neq; robur militum in bello, ſed Deus victoriæ cauſa eſt.

OTHONIS HENRICI ELECTORIS PALATINI.

Mit der Zeit.

Omnia fert tempus: melior CVM TEMPORE tandem
Sors venit: & tempus ſit medicina mala.

NUllum tempus fortunæ certum eſt, ait Seneca in Epiſtolis: ſed aliis temporibus alia ſors & fortuna convenit, ſecundùm Demoſthenem. Itaque tempori cedere, id eſt, neceſſitati parere, ſemper ſapientis fuit habitum, auctore Tullio. Nam, ut Pindarus vult, χρόνος ὁ πάντων πατὴρ: &, ut Poëta canit,

Omnia tempus alit, tempus rapit omnia.

Quin & immedicabilibus rebus plerunque tempus adfert remedium: &, ut apud Diphilum eſt,

λύπης ἁπάσης ἐστὶν ἰατρὸς χρόνος:
Tempus moleſtiis medetur omnibus.

ERICI III. REGIS SVECIAE.

DEUS DAT, CUI VULT.

CVI VVLT, DAT DEVS: & cui non vult, non dat: ab uno
Nempe Deo regnũ, quod datur, omne datur.

SYmbolum iſtud ex Daniele ſumtũ eſſe apparet: qui amiſſionem imperij vaticinans Nabuchodonoſori Chaldæorum Regi: *Supremus ille Deus* (inquit) *in regno dominatur mortalium: & CVI VVLT, DAT illud:* Rex ſcilicet Regum, Dominus dominorum, Princeps Principum Opt. Maximus. Nimirum cujus imperium (ut poſtea ipſe fatetur Nabuchodonoſor) ſempiternum eſt imperium: & regnum eius tale, quod non corrumpitur: qui arbitratu ſuo, & cœlorum exercitu & terræ incolis utitur: nec quiſquam eſt, qui manũ ei⁹ impediat, aut ab eo facti rationẽ exigat: quippe cuius opera & facta omnia vera ſunt, & æqua & juſta.

JOHANNIS REGIS
SVECIAE.
DOMINI EST SALUS.

In Domino ſperare DEO tutiſſima res eſt:
Quæ datur, à DOMINO vita SALVSque datur.

SYmbolo hoc in ſacris literis nihil eſt frequentius: quæ docent Domini eſſe ſolius, ſervare homines & ſalvare: unde & in Pſalmis paſſim Dominus Deus ſalutis, id eſt, Soter & Servator generis humani appellatur. Nam in filiis quidem hominum non eſt ſalus, ait Pſalmus 145: ſed *juſtorum SALVS A DOMINO eſt*, Pſal. 36. & DOMINI EST SALUS, Pſal. 3. ſeu, ut Jeremias Propheta loquitur, *In Domino DEO ſalus eſt:* qui virtus eſt ſalutis noſtræ, Pſal. 139.

CAROLI PRINCIPIS
SVECIAE,
G. I. M. E.

Gott iſt mein Erlöſer.
Gott iſt mein Erretter.

Tu MEA CHRISTE SALVS: te ſalvatore redemtus,
Protegor à cunctis eripiorque malis.

RENATI REGIS SICILIAE.

PAS A PAS.

Progreditur taurus PEDETENTIM tramite recto:
Qui pergit, cœpit quo pede, victor abit.

PIctura eſt bovis, regni inſignia collo geſtantis; & tardè quidem lenteque, ſed magnum nihilominus iter gradatim ac pedetentim conficientis. Etenim bos laſſus fortiùs figit pedem: &, ut in proverbio eſt, *ἀτρέμας ὁ βοῦς.* Quin etiam plus interdum poteſt gralatorius aut teſtudineus gradus, quàm volatus aquilinus. Nam ut Poëta canit, *κιχάνει καὶ βραδὺς ὠκὺν.* Scitè igitur Publius:

Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam:
Tunc enim verum fit Homericum illud:
ὄψιμον ὀψιτέλεςον, ὅυ κλέος ὄυκ ἀπολεῖται.
Quem verſum M. Cicero ita vertit:
Tarda & ſera nimis, ſed famâ & laude perenni.

CAROLI REGIS
HUNGARIÆ.
HONOR REGIS JUDICIUM DILIGIT.

Judicij Rex ſit moderator: REGIS ut æquum, JVDICIVM Chriſti DILIGIT, IMPERIVM.

PRoprium & quaſi peculiare imperij decus & ornamentum eſt Æquitas & Juſtitia: cui maximè adverſatur vis & tyrannis. Tale verò eſt regnum CHRISTI: qui amator eſt judicij, & æquitatis juſtitiæque auctor & cuſtos perpetuus. Sic enim de eo Pſalmus loquitur: IMPERIUM REGIS, JUDICIUM (id eſt, æquum & bonum) DILIGIT: qui & aliâs de eo prædicat, facere eum judicium & juſticiam apud populum ſuum. Eâdē quoq; voce uſus fuiſſe legitur BASILIUS ad VALENTEM Imperatorem: judicium Regis juſticiam eſſe docens.

JOHANNIS I. REGIS PANNONIAE.

SUA ALIENAQ. PIGNORA NUTRIT.

Quòd Lupa ſi SVA lacte ALIENAQVE PIGNORA NVTRIT;
Cur alijs non eſt, quod ſibi, ſolus homo?

PIctura Symboli eſt ex hiſtoriâ Romanâ: Lupa nimirũ, alienis catulis lac præbens: ſicut Romulum & Remum lupa educaſſe dicitur, cum hac inſcriptione: SUA ALIENAQUE PIGNORA NUTRIT. Quo docetur iſtud, etiam hoſtibus benefaciendum eſſe: adeoque proximum hominem à quovis diligendum, ac ſeipſum. Nam ſi quidem fortaſſis inimici cavendi, at diligendi ſunt, teſte Chryſoſtomo. Quoniam, ut ait Auguſtinus, *inimicos diligere, ijsque benefacere, ſumma eſt eleemoſyna.* Pulcrè etiam Fabius: Semper (inquit) odiorum honeſtus eſt occaſus: & dum ſimultates nihil aliud habent, quàm nocendi cupiditatẽ, ſpecioſa in melius mutatio eſt.

VLADISLAI REGIS POLONIAE ET PANNONIAE.

REGIUM EST VINCERE NON FUGERE.

Qui fugit, haud vincit, nec fert à Marte trophæum:
Regiâ laus non eſt vincere velle fugâ.

QUantum quiſque fugit, tantum timet, inquit Petronius Arbiter. οἱ δὲ ἀθυμοῦντες ἄνδρες οὔπω τρόπαιον ἔστησαν, auctore Platone. Etenim, ſecundùm Sophoclem, πάντα τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ. Itaque non niſi, ut Poëta canit,

Ardua ſolicitis victoria quæritur armis.

Nam trophæum ſic à forti viro ferre, pulcrum eſt: Si autem & vincatur, vinci a tali nullum eſt probrum, ut eſt apud Accium. Quod ita ſenſit quoque VLADISLAVS Rex: qui in prælio Varnenſi cum Amurathe Turcarum tyranno impari congreſſus militum manu: cùm jam inclinaret victoria: cæteris omnibus fugientibus, revocatus vi à quibuſdam ſuis ex prælio: ferox hoc modo reſpondit monitoribus: NON ESSE SANGVINIS SUI, VINCERE VELLE, & FUGERE. O generoſam mentem, & magno Rege dignam!

SIGISMUNDI I. REGIS POLONIAE.

TIBI ô DOMINE JUSTITIA.

JVSTITIÆ laus nulla mea, TIBI debita ſoli
Juſte DEVS: juſtos nos facis ipſe DEVS.

QUi verè humilis eſt, is omnem DEO laudem tribuit juſtitiæ, nullam ſibi: & cum Daniele c. 9. exclamat: *TIBI ô DOMINE JVSTITIA, nobis autem ignominia.* Quomodo & David Pſal. 71. *Domine* (inquit) *ſolius juſtitiæ tuæ recordabor.* Quem locum enarrans D. Auguſtinus: Cur *ſolius* (ait) *juſtitiæ?* Sufficeret ſanè, hoc, *juſtitiæ tuæ: Solius* verò prorſus dixit, ubi meam non cogito juſtitiam. Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Juſtitia tua Domine ſola me liberat: mea ſola non niſi peccatum eſt. Sic & Gregorius Magnus in Moralibus: Omnis humana juſtitia, injuſtitia eſſe deprehenditur: Si divinitus diſtrictè judicetur. *Solus* igitur *Jehova Deus juſtitia noſtra*, teſte Jeremia.

SIGISMUNDI AUGUSTI
REGIS POLONIAE.
PROTECTOR IN SE SPERANTIUM DEUS.

PROTECTOR eſt IN SE SPERANTIVM DEVS:
Sine quo nihil validum eſt hîc & ſanctum nihil.

QUantus ſit amor DEI erga nos, & quanta cura atque ſolicitudo:, abundè teſtatur Pſalmus CXXI. *Dominus* (inquit) *te cuſtodit: DOMINVS PROTECTIO TVA in prælio: Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem: Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.* Quàm bonum igitur & ſalutare eſt in uno Deo ſperare: qui ſolus piorum protector ac defenſor eſt: ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: ut liceat cum Bernhardo dicere: *Tu es Domine ſpes mea: ſi tribulatio infertur, per te ſperabo: ſi præmia promittantur, per te obtinebo: ſi inſurgat hoſtis, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat; non niſi in te uno ſperabo.* Dominus adjutor & protector meus: in quo ſperat cor meum: & à quo adjutus ſum: Dominus fortitudo populi ſui, & protector ſalvationum Chriſti ſui. Pſal. 28.

STEPHANI BATHORII

REGIS POLONIAE.

DOMINUS EXERCITUUM NOBISCUM.

Si DUX MILITIÆ DEUS ſupremus
NOBISCUM ſtat & Imperator, agmen
Cur hoſtile timendus extimeſcam?
Magnus tutor is omnium piorum eſt,
Pacis arbiter, arbiterque belli:
Qui virtute ſuâ ſuos tuetur,
Munit præſidio, DEUS ſalutis.

IN manu DEI ſunt omnes exercitus: qui verè eſt armipotens, & Imperator omnium Deus: &, ut Pſalmus XLVI. loquitur, DOMINUS EXERCITUUM, Deus virtutum, & ſalutis Deus: cui nemo impunè reſiſtit aut adverſatur: quique munimento eſt piis omnibus ac præſidio: cũ opem eius & auxilium implorant. Nimirum

Hic & duelli, pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus:
Munimen & ſalutis illę
Præſidium DEUS omne noſtræ. Pſal. 46.

LVDOVICI IV. ELECTO-RIS PALATINI.

VINCIT VIM VIRTUS.

VINCIT VIM VIRTVS, robur ſapientia vincit:
Sic vis virtuti nulla nocere poteſt.

MAgna vis eſt virtutis, quæ & vim ipſam vincit. Nam, ut Pindarus canit in Iſthmijs, ἄτρωτοι παῖδες θεῶν, id eſt, viri fortes & virtute præditi: quos lædere haud facilè quiſquam poteſt: & ſecundum Naſonem,

Omnia deficiunt; animus tamē omnia vincit.

Neque enim, auctore Tullio, viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio, & auctoritate, & virtute: &, ut in Agathonis verſu eſt,

γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν, ἢ σθένος χερῶν: vel, ut Val. Flaccus ait,

— *Sæpe acri potior prudentia dextrâ:* vel, ut alter ille verſus habet,

Ingenium vires ſuperat, prudentia robur.

FRIDERICI II. ELECTORIS PALATINI.

DE COELO VICTORIA.

DE COELO quæ miſſa venit VICTORIA pulcra:
Non vis, ſed virtus vincit in hoſte Dei.

IUdas Macchabæorum Dux in prælio animaturus milites ſuos: *Facile eſt* (inquit) *multos à paucis ſuperari: nulloqúe diſcrimine* DEUS *in cœlo & cum multis vincit, & cum paucis: ſiquidem non in multitudine militum belli VICTORIA, ſed DE COELO fortitudo eſt.* 1. Macch. 3. Sic & Salomon Proverb. c. 21. Paratur ad pugnæ diem equus: ſed A DEO eſt VICTORIA. Nam, ſecundum Æſchylum, καλῶς τὰ πλείω πόλεμῳ ἐκ θεῶν κυρεῖ:

Plerumque bellum cum DEO cedit bene.

Ex quo & Pindarus: κρίνεται ἀλκὰ διὰ δαίμονα ἀνδρῶν. Ex Xenophon ἀναβας. γ. Neque multitudo neq; robur militum in bello, ſed DEUS victoriæ cauſa eſt.

OTHONIS HENRICI ELECTORIS PALATINI.

Mit der Zeit.

Omnia fert tempus: melior CVM TEMPORE tandem
Sors venit: & tempus ſit medicina malo.

NUllum tempus fortunæ certum eſt, ait Seneca in Epiſtolis: ſed aliis temporibus alia ſors & fortuna convenit, ſecundùm Demoſthenem. Itaque tempori cedere, id eſt, neceſſitati parere, ſemper ſapientis fuit habitum, auctore Tullio. Nam, ut Pindarus vult, χρόνος ὁ πάντων πατὴρ: &, ut Poëta canit,

Omnia tempus alit, tempus rapit omnia.

Quin & immedicabilibus rebus plerunque tempus adfert remedium: &, ut apud Diphilum eſt,

λύπης ἁπάσης ἐστὶν ἰατρὸς χρόνος:
Tempus moleſtiis medetur omnibus.

FRIDERICI III. ELECTORIS PALATINI.

Herr nach deinem Willen.

Non mea, ſed FIAT DEVS *ô* TVA *ſancta* VOLVNTAS:
Quod tu vis, hoc fac me quoque velle Deus.

QUi voluntati ſe committit divinæ: is ſui ſemper in omni vitâ eſt ſimilis: animo & vultu propè eodem; neque in proſperis elato, neque in adverſis abjecto. Quippe qui à DEO, in quo uno omnem fiduciam ac ſpem ſuam collocat, perpetuò pendet: omniumque cogitationum & actionum ſuarum teſtem habet Deum; cui ſi quid viſum fuerit, id omne juſtiſſimum rectiſſimumque ſtatuit: & re ipsâ demonſtrat id, quod orat quotidiè: FIAT VOLUNTAS TUA DOMINE. Quomodo & Macchabæus ille Judas milites confirmans ſuos: *Quod* DEI (inquit) *fert voluntas in cœlo, id ratum eſto.* 1. Macch. 3.

LVDOVICI V. ELECTORIS PALATINI.

Alles Ding Zergenglich.

OMNIA PRÆTEREVNT: manet æternumq́ manebit
Virtus & pietas, neſcia ſola mori.

*

Nil homines certi toto ſperabimus orbe:
Nil certi tempus, ſors ve, labor ve dabunt.
Cuncta ferent referentque dies: hominumq́ laborẽ
Munere ſors certo nulla beare poteſt.
Si ſperas, ſperes ſuperûm cœleſtia regna:
Haud adimi, vicibus temporis illa queunt.
Spe vanâ in vanum vanis quicunque fruuntur,
Sors vana ut vanis munera vana dabit.

Omnium rerum viciſſitudo eſt, inquit Comicus: &, ſecundum Naſonem,

— *Nihil eſt, toto quod perſtet in orbe.*

Nam ut Græcum habet Epigramma, πάντα τὸ μηδὲν; &, ut apud Diphilum eſt,

βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ βίῳ:

ſeu, ut Plautus in Ciſtellariâ ſcribit,

Ut ſunt humana, nihil eſt perpetuum datum.

Sic nimirum, ut in ſymbolo legitur,

OMNIA PRÆTEREUNT, *præter amare Deũ.*

JOANNIS CASIMIRI COM. PALATINI PROELECT.

CONSTANTER ET SINCERE.

SINCERE quidquid facis ET CONSTANTER, honeſtè
Hoc facis, & laudem ſic probitatis habes.

QUod rectè & ſapienter homo ſperat, perſeveranter & conſtanter conſectari debet, ait Columella: nimirum à ſe hoc exigendo, ut qualem ſe præſtare inſtituerit, talem ſe ad exitum ſervet: ſicut rectè monet Seneca. *Nemo* enim eſt *vir fortis*, *cui non creſcit animus in ipsâ rerum difficultate*, eodem Seneca auctore. Neque verò ſatis eſt, rectè judicare, quid faciendum ſit: ſed ſtare etiam oportet in eo, quod ſit rectè judicatum. Cic. 2. de Finib.

FRIDERICI IV. ELECTORIS PALATINI.

Regier Mich Gott durch dein Wort.
Regier Mich HErr nach deinem Wort.

ME VERBO REGE CHRISTE TVO, rege numine ſancto:
Ingrediar ſanctum quo duce ſemper iter.

NUlla in diſcendo mora eſt, ubi ſpiritus ſanctus adeſt doctor, ait Beda. Et Leo Papa: *O quàm velox eſt ſermo ſapientiæ! & ubi magiſter eſt Deus, citò diſcitur, quod docetur.* Semper igitur cum Pſalmo CXLIII. orandum eſt piis: Spiritus tuus bonus Domine deducat me in viam rectam. *Tu ſanctum ſemper opus in me ſpira, ut cogitem: compelle, ut faciam: ſuade, ut intelligam: confirma me, ut te teneam: cuſtodi me, ne te perdam:* ut Auguſtinus de ſuo nobis iſta largiatur.

FRIDERICI III. DVCIS SAXONIAE ELECTORIS.

TANTUM, QUANTUM POSSUM,

SI TANTVM, QVANTVM POSSVM, præſtare laborem,
Sat reor: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

METiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt: ut rectè monet Flaccus. Nam, ſecundum Martialis illud,

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Stultitia verò eſt, ea tentare, quæ ſupra vires ſunt, aut quæ effici non poſſunt, teſte Fabio. τὸ γὰρ τολμᾷν ἀδύνατον ἀνδρὸς ἐ σοφἔ, ut eſt in Helena Euripidis. Pulcrè igitur Cato ille Romanus:

QVOD POTES, ID TENTES: operis ne pondere preſſus
Succumbat labor, & fruſtrà tentata relinquas.

JOANNIS ELECTORIS SAXONIAE.

V. D. M. I. Æ.

Si VERBVM DOMINI MANET ÆTERNVMque manebit:
Scilicet eſt verbo credere ſumma ſalus.

PEtrus Apoſtolus in Epiſtolâ primâ ſymbolum hoc, quod poſt repurgatam religionem commune fuit FRIDERICO III. JOANNI, & JOANNI FRIDERICO I. Ducibus Saxoniæ Electoribus, ex Jeſaię Prophetę c. 40. mutuatus: *Omnis caro* (inquit) *fœnum eſt: omniſque hominis gloria eſt tanquam fœni flos. Aret herba, cadítque flos: at VERBVM DOMINI MANET IN ÆTERNVM.* Sic & David Propheta Regius Pſal. 119. Domine (inquit) in æternum permanet verbum tuum. Rectè enim Auguſtinus: *Lex æterna eſt divina voluntas.* Et Baſilius: Finis mandatorum Dei eſt vita æterna.

JOANNIS FRIDERICI I.
ELECTORIS SAXONIÆ.
FIDE, SED CUI?
Vertraw / vnd nicht zu viel.

FIDE quidem, SED CVI? nam fidere cenſeo nulli
Fas homini: præſtat fidere nempe DEO.

*

FIDE, SED ante vide, CVI tutò fidere poſſis:
Et quia non tutum eſt fidere, fide DEO.

CRedulitatis facilitas peſſima eſt, teſte Bernhardo. Itaq; nemo ſapiens ferè credit ei, niſi quem fidelem putat: ut M. Cicero ſcribit pro Sext. Roſcio. Perditiſſimi autem hominis eſt, & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi crediſſet: eodem auctore Cicerone. Sic quoniam, ſecundùm Poëtam,

Candor in hoc ævo res intermortua penè eſt:
ſanè res eſt tutiſſima, uni DEO fidere: mundo autem immundo diffidere plurimùm: in quo vix ulla fidei umbra amplius reliqua eſſe videtur.

MAURICII ELECTORIS SAXONIAE.

FORTES FORTUNA ADJUVAT.

Villeicht glückt mirs auch.

SI FORTES FORTVNA JVVAT: duce numine FORSAN, FORTVNATVS ERO, ſimodò fortis ero.

*

Fortunam ſperare licet, dum vivitur, æquam:
Forſan & eſt votis æqua futura meis.

FOrtunã laudare, ſtultitia; invocare, impietas; vituperare, ſuperbia eſt: ſed amplexari eam& reverenter habere, ſumma profectò prudentia eſt. Plerunque enim, auctore Livio, fortuna virtutem ſequitur: &, ſecundùm Tullium, *fortitudini fortuna adjumento eſſe ſolet:* licet nemini, Seneca teſte, tam dedita eſt fortuna; ut multa tentanti ea ubique reſpondeat. Quod ſi igitur virtuti non ſemper fortuna comes eſt: æquo ea animo ferenda eſt: præſertim, quæ à culpâ abeſt, ut monet Tullius. Quippe *cum fortunâ ruere, dementia eſt*, teſte Fabio.

AUGUSTI DUCIS SAXONIAE ELECTORIS.

TE GUBERNATORE.

Pictura, Imago CHRISTI in velo navis.

TE, CHRISTE; vela pando per maris vias,
TE inquam GVBERNATORE, & auſpice, & duce:
Tu dux & auctor ſolus es vitæ DEUS:
Tu tutor es ſalutis & cuſtos meæ:
Provinciæ tu rector & præſes bonus.
Sic TE GVBERNATORE tutus navigo.

CHryſoſtomus ſuper Matthæum, enarrans ſanctæ Eccleſiæ naviculam, in quâ pij homines cùm Domino undoſum hunc ſupernatant mundum: *Habemus* (inquit) *pro mari mundum: pro navi Eccleſiam: pro velo pœnitentiam: pro gubernaculo crucem: pro nautâ Chriſtum: pro vento Spiritum ſanctum.* Et ibidem Rabanus: Mare eſt æſtus ſeculi: navicula, arbor crucis: cuius auxilio fideles, CHRISTO duce & GUBERNATORE, ſuperatis mundi huius fluctibus, perveniunt ad cœleſtem patriam, quaſi ad littus ſecurum: in quo vera eſt & perpetua vitæ tranquillitas.

AUGUSTI DUCIS SAXONIAE ELECTORIS.

TANDEM BONA CAUSA TRIUMPHAT.

Non vis aut numerus, TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT:
Victrix cauſa Deo; ſit modò juſta, placet.

BErnhardus de novâ militiâ inter alia ſcribens: *Si bona* (inquit) *fuerit cauſa pugnantis, pugnæ exitus malus eſſe non poteſt: ſicut nec bonus judicabitur finis; ſi cauſa non bona, & intentio non recta præceſſerit*. Sic nimirum in bonâ causâ bono decet eſſe animó: ut Sophocleũ illud monet,

ξὺν τῷ δικαίῳ μέγα μὴν ἔξεστι φρονεῖν.

Et alterum hoc ejuſdem:

τοῖς τοι δικαίοις χρῶ, βραχὺς νικᾷ μέγαν.

Cui reſpondet Euripideum illud:

εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
κρατεῖ, τὸ θεῖον, τὴν δίκην τε συλλαβών.

CHRISTIANI I. ELECTORIS SAXONIAE.

FIDE ET VIDE.

Sub pictura Leonis clauſis oculis vigilantis, & incubantis armis Saxonicis.

FIDE, SED antè VIDE: male fidit, qui bene fidit
Cuiq; cui fidat, nec priùs ipſe videt.

LEonem clauſis oculis vigilare, & apertis dormire, ſcribit Orus in Hieroglyphicis: quod cuſtodiæ & vigilantiæ ſymbolum eſt, ac præterea cautionis & diligentiæ cujuſdam: quâ vel maximè opus eſt infido hoc ſeculo in fidendo, & alteri credendo: ſicut Epicharméum illud docet: *nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere.* Quod & Sophocles monet in Antigonâ:

— σώφρονος δ᾽ ἀπιστίας
οὐκ ἐστὶν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Et Theocritus:

μὴ πίστευε τάχιστα, πρὶν ἀτρεκίας πέρας ὄψεις.

Ne citò credideris: priùs at tu reſpice finem

Sic nimirum eredere omnia æquè vitioſum eſt, ut nihil credere; teſte Auguſtino: & ſecũdùm Senecam, utrumq; in vitio eſt, & omnibus credere & nulli.

FRIDERICI WILHELMI PROELECTORIS SAXONIÆ.

HErr erhalte Mich bey deinem Wort.

ASSERE ME, pariterq́ue TVVM DEVS ASSERE VERBVM:
Nam verbum dos eſt maxima Chriſte tuũ.

κατ᾽ ἀνάγραμμα.

FREDERICUS GUILHELMUS DUX SAXONIAE, LANTGRAVJUS TURINGIÆ, & MARCHIO MISNIÆ.

ME CONSERVA IN LEGE TVA, digniſſima turri,
Arx, vis, fulgida lux; CHRISTE JEHOVA mea.

E. R. L.

POrtio mea Domine, cuſtodia legis tuæ, ait Pſalmus CXIX. id eſt, verbi divini poſſeſſio. Nam verbo Dei nullum majus aut præſtantius bonũ contingere homini poteſt: quod ſupra orizum eſt & aurum, Pſal. 19. quo rectè cognito, rectè vivitur, & rectè colitur DEUS: in quo ipſo ſumma ſalus & beatitudo eſt: ut ſcribit Auguſtinus.

FRIDERICI WILHELMI DUCIS SAXONIAE PRO-ELECTORIS.

PIETAS TUTISSIMA VIRTUS.

Magna quidem vis eſt pietatis, magna poteſtas:
Et meritò PIETAS homini TVTISSIMA VIRTVS.

Tutiſſima res, timere nil, præter Deum, ut vetus habet Senarius. Timere autem Deum, vera eſt religio & pietas: quæ fundamentum eſt omnis virtutis: cujus ſanè vis magna eſt & poteſtas. Δεινὸς γὰρ, ὃς θεὸν σέβει, ut eſt apud Æſchylum: & ut Seneca canit, *Nulla vis major pietate verâ eſt.* Piè igitur Maro:

Et meritò PIETAS homini TVTISSIMA VIRTVS.

οἱ γὰρ θεὸν σέβοντες, ἐλπίδας καλὰς ἔχουσιν εἰς σωτηρίαν: ut eſt in illo Philemonis apud Epiphanium. Sed &, ſecundùm Apoſtolum, pietas ad omnia utilis eſt: quæ habet promiſſiones vitæ præſentis & futuræ. 1. Timoth. 4.

CHRISTIANI II. DUCIS SAXONIAE ELECTORIS.

A DEO: PRO IMPERIO.

DEUM TIME: CÆSAREM HONORA.

A DEO quæ ſceptra mihi ſupremo
Rege Regum tradita ſunt & arma;
PRO ſacro juſtè IMPERIO tenebo:
Publicæ pacis placidaqúe cuſtos,
Atque ſanctæ relligionis ara.
Sic DEUM *rectè* TIMEO, *atq;* HONORO
CÆSAREM, *Romani Imperii vaſallus.*

HOc ſymbolo officium deſcribitur Regum & Principum: quos quia Deus, qui regna tradit, quibuſcunque vult, aliquâ ratione cæteris præfecit hominibus: meritò hi agnoſcere debent, ſe Dei Regum Regis eſſe vaſallos; per gladium regiæ auctoritatis inſigne, inveſtitos; ut eo gladio legem divinam tueantur, bonos protegant, malos perdant. Quod & Paulus Apoſtolus Rom. 13. his monet verbis: *Princeps eſt miniſter Dei, in bonum & commodum ſubditorum inſtitutus: gladioqúe tuendis bonis adverſus improbos accinctus: cui in eam rem incumbenti honor quoquè debetur.* Hinc & Petrus Apoſtolus: DEUM (inquit) TIME: REGEM HONORA. Quibus ex verbis patet, Deum inprimis & ante omnia eſſe colendum, propter ipſum: Regem autem honorandum propter Deum: & conſequenter, Regibus Deo ſervientibus, non adverſantibus; Dei jura tuentibus, non invadentibus, eſſe obtemperandum.

ALBERTI ELECTORIS BRANDEBURGICI.

QUO CARIOR, EO CLARIOR.

Quò pugna difficilior, hoc honeſtior: QVO CARIOR victoria, HOC EST CLARIOR.

REbus maximis difficultatem ipſa natura propoſuit, auctore Tullio: &, ut in proverbio eſt, *Difficilia, quæ pulcra.* Itaque EÒ CARIOR victoriæ laus eſt; QUÒ CLARIOR eſt, quem viceris; teſte Q. Curtio. E diverſo autẽ omniũ rerũ cupido langveſcit, cum facilis eſt occaſio, ut vult Plinius: adeoque ſecundùm Nazianzenũ; *omne illud contemtui obnoxiũ eſt, quod facilè ſuperatur.* Quod ALBERTUS Marchio, Achilles ille Germanicus, rectè hoc modo intellexit: qui in bello Norico circũventus ab hoſtibus, parvâ cum manu, militum ſuorum vexillum utroque comprehendens brachio: NUSQUAM (inquit) EGO, QUAM HEIC, MORIAR HONESTIUS. Adeò verum eſt, quod Juſtinus ſcribit; *Victores nuſquam honeſtius perire, quàm in caſtris hoſtium.* Neq; enim glorioſa eſt victoria, niſi ubi fuerint laborioſa certamina: auctore Ambroſio.

JOANNIS ELECTORIS
BRANDEBURGICI.

Alle Ding ein weil.

OMNIA TEMPUS HABENT:
nil toto perſtat in orbe:
Cunctafluunt: & ſic OMNIA TEMPUS HABENT.

PRæclarè Corn. Tacitus: Rebus (inquit) cunctis ineſt quidam veluti orbis: &, ut in Græcorum proverbio eſt, κύκλῳ τὰ ἀνθρώπινα: ſeu, ut eſt apud Comicum, Omnium rerum viciſſitudo eſt. πάντα γὰρ βίαια βίος, καὶ πάντα μηδέν: Nihilque ſemper floret, & nihil in ſuo ſtatu permanet, ait Tullius: adeoq; , ſecundùm Poëtam,

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.

JOACHIMI I. ELECTORIS BRANDEBURGICI.

JUDICIO ET JUSTITIA.

Publica JUDICIO res conſtat, JUSTITIA-QUE:
Judicio regnat juſtitiâque DEUS.

SAlomon in Proverbiis c. 21. *Facere judiciũ & juſtitiam* (inquit) *melius eſt apud Deum, quàm victima & ſacrificium.* Sic Rex ille Regum omnium CHRISTUS Opt. Max. paſſim in Pſalmis dicitur facere judicium & juſtitiam: cujus exemplo Deus etiam Reges & Principes terræ (quos & ipſos divos ſuo compellat nomine, tanquam poteſtatis divinæ adminiſtros) monet facere judicium & juſtitiam: ad vindictam ſcilicet nocentûm, & tutelam innocentûm, teſte Apoſtolo, Rom. 13. Quibus duabus rebus, tanquam fulcris quibusdam atque ancoris, Reſpublica continetur in ſuo ſtatu: nimirum JUDICIO ET JUSTITIA, id eſt, pœna & præmio, ut Solon dixit.

JOACHIMI II. ELECTORIS BRANDEBURGICI.

REGIUM EST OMNIBUS BENEFACERE.

Summa boni laus eſt BENE*ſic* FACERE *omnibus: una*
Nempe Deo virtus hæc hominiq́ placet.

ARiſtoteles in Nicomachicis: ὑπερβολὴ (inquit) ἀρετῆς ἐστι, τὸ πάντας εὐποιεῖν. Idem & alibi multò pulcrius & jucundius eſſe ſcribit, beneficio afficere, quàm affici: propterea quòd nullũ ſit certius felicitatis argumentũ, quàm largiri omnibus. & à nemine accipere. Rectè etiam Cato:

Utilius regno meritis adquirere amicos.

Sic & Artaxerxes Perſarum Rex multò regalius eſſe dixit dare, quàm accipere. Et Socrates: Plus gaude (inquit) datis beneficiis, quàm acceptis: Illa gloriæ, hæc neceſſitati videntur eſſe ſubjecta. Hinc & Lactantius regias laudes eſſe dicit liberalitatem & beneficentiam. Et Seneca:

— Hoc (ait) *Reges habent*
Magnificũ & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere. Quò etiam pertinet Anaxilai Regis illud: qui hoc unum Regibus feliciſſimum evenire dixit: quod à nemine vinci poſſent beneficiis.

JOAN. GEORGII ELECTORIS BRANDEBURGICI.

Alles nach Gottes Willen.

OMNIA, quæ vult, ſponte Deus facit: omnia rectè
EX voto, quæ vult, ſic facit ipſe Deus.
Ergo VOLUNTATEm quiſquis facit omne per ævum
Sponte DEI; rectè, quod facit, omne facit.

FAcilimum omnium eſt, ſeipſum decipere, ut Græcus quidam dixit. Nam quod quiſque vult, id animo ſibi perſuadet, & ſanctum putat, auctore Demetrio. Proinde is rectè facit, qui non tam ſuæ, quàm divinæ voluntati obtemperat: quæ ſemper eſt optima: quæque in omnibus operibus, ut Gregorio placet, meritò attendenda eſt: quippe quæ vera eſt humilitas: cujus perfectio eſt ipſius juſtitiæ conſummatio, teſte Bernhardo.

JOACHIMI FRIDERICI ELECT. BRANDEBURGICI.

INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.

Vt rectè ſapias, Deum timeto.
Nam FONS *eſt* SAPIENTIÆ TIMERE
Toto corde DEUM, *Deumq́ue amare.*
Sic Rex nos Salomon docet ſub orbe
Q̀uo nullus ſapientior Monarcha
Vixit, magnificentiorq́ue Princeps.

NIhil in rerum naturâ melius eſt, quàm metus DEI. Quippe TIMOR DOMINI, ut Salomon ait Proverb. 1. 9. & 15. PRINCIPIUM SAPIENTIÆ eſt, & diſciplina ejuſdem: vel, ut Syracides in Eccleſiaſtico c. 1. corona ſapientiæ. Nam &, eodem teſte Salomone, Proverb. 14. fons vitæ eſt, & finis modeſtiæ. Imò verò omnis & tota ſapientia eſt, Domini timor, ut Jobo placet cap. 28. & Syracidæ cap. 1. Quoniam *ſolus DEI timor eſt*, auctore Chryſoſtomo, *qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſervat, omnis deniq́ue tribuit boni facultatem*,

ERNESTI FERREI ARCHI-DUCIS AUSTRIÆ.

UNA SALUS.

Sub pictura Apri ſancii, venabulo ſeſe objicientis.

UNA SALVS victis, nullam ſperare ſalu-
Spes cadtt, at victis imperat inde metus (tem:

Res inſolens eſt victoria, ait M. Tullius Cicero pro M. Marcello: quam profectò vincere, magni eſt animi & moderatī. Nam verum eſt Publii illud:

Bis vincit, qui ſe vincit in victoriâ.

Sed victis quidem non ſemper (ut Maronis verbis utar) redit in præcordia virtus: quos ferè de ſalute ſuâ deſperare videmus: ſiquidem, ut Poëta canit,

Victorem victus metuit, metus imperat illi.

Plerùmque enim verum is experitur illud, quod Seneca in Trojade ſcribit:

Quodcunque libuit facere, victori licet.

Itaque non rarò evenit illud, ut ſit, ſecundum Symbolum hoc Maronianum Æneid. 2.

UNA SALUS *victis, nullam ſperare ſalutē.* Meliùs tamen C. Cæſar apud Lucanū ea demum vocat belli præmia unica, victis donare ſalutē: ſiquidem, auctore Livio, non tam ſæviēdo in afflictos fit clara victoria, quàm vincendo oppugnantes.

FERDINANDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ.

NIHIL ARDUUM FATIS.

VINCIT POTENTIA FATI.

Qui fatis agimur, cedere nos decet
Fatis atque Deo. nam NIHIL ARDUUM
FATIS: fata regunt ſic benè, quod regunt:
Et quæ vult Deus, hæ perficit omnia.

COrn. Taciti eſt ſymbolica iſta ſententia; NIHIL ARDUUM FATIS. Fata autem intelligit voluntatem divinam: cui ſanè factu nihil eſt arduum aut difficile. Nam, ſecundùm Poëtam,

— *Facile eſt, omnia poſſe, DEO.*

Quippe cujus, ut idem canit, Immenſa eſt, finemque potentia cœli non habet. Sic Callimachus: δαίμονι ῥέξαι πᾶν δυνατόν. Et Linus:

ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν. Quod & David his confirmat verbis Pſal. 135. *Omnia in cœlo & terra, in mari omnibusque abyſſis, Deus quæcunque voluit, fecit.*

CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ & STYRIÆ.

AUDENTES FORTUNA JUVAT.

AVDENTES FORTVNA IVVAT, timidoſqúe repellit.

Aude aliquid: ſic te forsq́, Deusq́, juvat.

SYmbolum hoc eſt Maronianum: AUDENTES FORTUNA IUVAT. Quod & Naſo uſurpat:

— *Audentes Forsqúe Deusqúe juvat.*

Et Terentius: Fortes fortuna adjuvat. Sic & Corn. Tacitus: *Fortioribus Deus adeſt.* Et Seneca in Medea: *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.* Quò etiam referatur Ennianum illud apud Macrobium: *Fortibus eſt fortuna viris data.*

Cæterum alterum ejuſdem Principis ſymbolum fertur ejuſcemodi: QUAMVIS ATTAMEN. Cujus ſanè ſenſus licet nobis planè compertus non ſit: liceat tamen interim nobis de eo divinare, & quaſi ariolari, ex Naſonis illâ ſententiâ piâ & verè Chriſtianâ:

QUAMVIS *ſit ſemper meritis indebita noſtris,*
Magna TAMEN *ſpes eſt in bonitate Dei.*

ERNESTI ARCHIDUCIS AUSTRIAE.

SOLI DEO GLORIA.

SOLI vera DEO ſit GLORIA: vana faceſſat
Gloria: ſit SOLI GLORIA vera DEO.

NEminem niſi in ſuo gloriari oportet, inquit Seneca in Epiſtolis. At quid habet homo ſuum, quod non à DEO accepit? SOLI igitur DEO debetur omnis GLORIA: in quo uno eſt vera hominis gloria, ſecundùm Pſalmum. Quod & Angelorum monet canticum apud Lucam in Evangelio: GLORIA IN EXCELSIS DEO. Et Pſalmus CI. *Sit gloria Domini in ſeculum.* Summum verò malum eſt, ut Auguſtinus loquitur, inanis gloria: quæ fons eſt omnium malorum, teſte Chryſoſtomo.

MATHIÆ ARCHIDUCIS AUSTRIÆ.

AMAT VICTORIA CURAM.

Et palmam felix & A MAT VICTORIA CVRAM:
Atvincere ſeipſum fortiter palmarium eſt.

MUltùm poteſt aſſiduitas & diligentia in omni vitæ ac ſtudiorũ genere: ſed inprimis ad ſpem victoriæ cura & indaſtriâ adhibenda eſt: quâ fit, ut ſecundùm veterem Poëtam, ſæpe ſuperet velocem tardior âquilam, & brevi teſtudo (ut ajunt) tempore. Pulcrè enim Xenophon: κρεῖτ]ον ἐν τῇ ὁρμῇ σπεύδειν, ἢ ἐν τῇ ὁδῷ. Et Corn. Tacitus: *Victoria conſiliis & ratione perficitur.* Fruſtra autem currit ad metam: qui priùs, quàm ad metam venit, deficit, teſte Gregorio.

MAXIMILIANI ARCHIDUCIS AUSTRIAE.

MILITEMUS.

Quid eſt vivere? nonne militare?
Mundo militat impius: pius ſed
Chriſto militat. Ergo MILITEMUS
Chriſto militiam bonam; tuendo
Fidem ſic bene conſcientiamque.
Nam fas haud puto militare mundò.

PUb. Helvij Pertinacis Cæſaris ſymbolum hoc fuiſſe fertur, MILITEMUS: quod Imperator Romanus factus militum tribuno dedit: cujus contrarium ſibi poſtea uſurpavit L. Septimius Severus, LABOREMUS. Illi placuit omen belli, huic pacis. Quanquam & pacis gratiâ omne ſuſcipitur bellum: ut in eâ ſine cujuſquam injuriâ jucundè tranquilleque vivatur.

Cæterùm myſticè hoc accipiendo ſymbolum, militia quoque eſt vita hominis in terrâ, ut Jobus c. 7. nominat: cujus arma Paulus Apoſtolus deſcribit 2. Corinth. 10: qui aliâs hanc regulam tradit: *Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam.* 1. Tim. 1.

ALBERTI ARCHIDUCIS AUSTRIAE.

QUO FATA TRAHUNT.

Quò Deus & QVO FATA TRAHVNT retrahuntqúe, ſequamur:
Maximus eſt fatis cedere nolle furor.

FAtum nihil aliud eſt, quàm Dei voluntas, oraculis divinis quaſi effata: quæ eſt cauſa æterna rerũ: &, ut Tullius ait, omni ex æternitate fluens veritas ſempiterna: cui ſanè obſequi in omnibus, ut pium, ita ſalutare eſt. Quandoquidem, ut Manilius canit,

— *Certum eſt, & inevitabile fatum.*

τὸ δὲ μόρσιμον οὐ παρφυκτὸν, ait Pindarus. Quod & oraculũ illud vetus monet: ἕπου θεῷ, id eſt, ſequere Deum. Cui Maronianum hoc reſpondet ſymbolũ: Quò FATA TRAHUNT RETRAHUNTQ́; SEQUAMUR. Et Lucani hoc:

QVO FATA TRAHVNT, virtus ſecura ſequetur.

Quo etiam pertinet Homericum iſtud:

ὅσκε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον (αὐτοῦ.

Nam, ut vetus habet Tragœdia,

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

ALBERTI IV. DUCIS BAVARIAE.

JUSTUS NON DERELINQUETUR.

JUSTUS homo NON DESERITUR,
vel rebus in arctis:
Nam juſto benè vult & favet ipſe Deus.

PIè & ſanctè omnino David in Pſalmo XXXVII. Junior (inquit) fui, & conſenui: nec vidi juſtum unquam ab ope deſertum. Qui & in Pſalmis aliis identidem hoc repetit ſymbolum: JUSTUS NON DERELINQUETUR. Et Salomon Proverb. 11. *Semen Juſtorum ſalvabitur.* Sic & Plato juſtos homines DEO curæ eſſe ſcribens: οὐ δὴ ὑπό γε θεοῦ ποτε ἀμελεῖται, ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ, ὁμοιοῦσθαι θεῷ. Et Sophocles:

τοῖς μὲν δικαίοις ἀντέχειν οὐ ῥᾴδιον:
Juſto reſiſtere haud facile eſſe ego arbitror.

ὁ γὰρ θεὸς, ut Menander ait, δικαίοις ἔργοις ἥδεται, καὶ οὐκ ἀδίκοις.

Facta haud iniqua, juſta ſed placent Deo.

WILHELMI & LUDOVICI FR. DUCUM BAVARIÆ.

QUIS CONTRA NOS?

SI DEVS A NOBIS, CONTRA NOS eſſe QVIS auſit?
Qui ſi bella gerit, jam fugit hoſtis iners.

PAULUS Apoſtolus ad Romanos ſcribens c. 8. SI DEUS (inquit) PRO NOBIS, QUIS CONTRA NOS? Atq; hoc ita verum eſſe, ſuo comprobat exemplo: qui à viperâ mordicùs apprehenſus in Melite inſulâ, nullam ex eo contagionem accepit: ſed excuſſam protinus manu viperam, in medias conjecit flammas, omnibus barbaris admirantibus. Actor. 28. Adeo nimirum vis nulla aut fraus nocere poteſt iis, quibus divina præſtò eſt clementia & potentia.

ALBERTI V. DUCIS BAVARIAE.

TUA EST, ô DEUS, GLORIA.

Quod ſum, non mea, ſed DEVS EST TVA GLORIA: vitæ
Tu dator unus eras, tu quoque tutor eris.

WILHELMI III. DUCIS BAVARIAE.

DULCE AMARUM PATIENTIA.

DULCE facit tandem PATIENTIA,
quidquid AMARUM eſt:
Sis patiens, dulcis ſic tibi vita manet.

SCitum eſt illud Lucani Poëtæ: *Gaudet patientia duris.* Nam, ut ſymbolum habet, OMNIA AMARA PER PATIENTIAM DULCORANTUR. Sic nimirũ PATIENTIA verè eſt ΓΛΥΚΥΠΙΚΡΟΝ, id eſt, DULCE AMARUM. Siquidem, ut idem canit Poëta,

Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtũ:

& ſecundùm Plautum, Fortiter malum qui patitur, idem pòſt patitur bonum. Ex quo rectè Naſo:

Perfer & obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Sæpe tulit laſſis ſuccus amarus opem.

Et Seneca: Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt. Sic Gregorius: *Patientia delectabiliter mordax, ſuaviter cruciat.* Et alibi: Patientia, quidquid in hac vitâ amarum eſt, dulce æſtimat.

ERNESTI DUCIS BAVARIÆ ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS.

O. P. N. I. C.

ORA PRO NOBIS JESV Rex CHRISTE Redemtor:
Tu Patrem miſeris conciliare potes.

PHILIPPI PALATINI, EPISCOPI FRISINGENSIS.

FAC ME UNUM DOMINE EX MERCENARIIS TUIS.

SERVVM ME FAC quæſo TVVM DEVS atq; miniſtrum:
Obſequium placeat, quod tibi præſto, meum.

LIbertas eſt, non ſervitus, Dei ſe profiteri ſervum: &, ſecundùm Pſalmum, ſervire Domino in timore, id eſt, in ſanctitate & juſtitiâ: cujus in regno ſane præſtat eſſe mercenarium, quàm Regem aut Principem in Imperio. Ex quo etiam verum eſſe intelligitur illud Regis Davidis Prophetæ ſanctiſſimi: optantis ſe janitorem eſſe potiùs in domo Domini; quàm multarum gentium extra domũ Domini dominatorem. Pſal. 84.

JOANNIS PALATINI EPISCOPI RATISBONENSIS.

NAVEM TUAM CHRISTE TUERE.

Per mundi vehitur fluctus Eccleſia ſancta
Quà tecum, NAVIM CHRISTE TVERE TVAM.

MUndus nihil aliud eſt, niſi mare procelloſum: in quo hincinde magnâ vi jactatur navicula, quæ eſt Eccleſia; id eſt, ſanctorum hominum communio: quæ à duce ſuo & rectore CHRISTO nomen habet: extra quam nulla eſt ſalus: perinde ut extra Nohæ arcam nulla vita fuit. Quæ quidem rectè Navis Petri nominatur: quippe ſuper cujus fide & confeſſione fundata adhuc atq; exædificata eſt, tanquam in petrâ firmiſſima: TU ES CHRISTUS, DEI VIVENTIS FILIUS: quæ eſt fundamentum omnis doctrinæ Apoſtolicæ & Propheticæ: in quâ unâ manet & eſt CHRISTUS: qui ex hac naviculâ quotidie nos docet per verbum ſuum; cui qui credit, is ſalvatur.

WOLFGANGI I. COMITIS PALATINI.

Es mag noch wol gerathen.

Quam mihi conceſſit ſortem inſuperabile fatum:
Seu citò ſeu ſerò venerit, illa venit.

SOrs omnis à Deo eſt: quippe in cujus manu (Pſal. 31.) omnes ſunt ſortes. Sortem autem tuam (ait Seneca) ita tolerabilẽ reddes; ſi quod vis eſſe, ſis: vel ſi, ut cum Poëta loquar,

Quod ſis eſſe velis, nihilq́; malis.

Nam, ut apud Accium eſt, ſatis eſt, quem cuiq; tribuit fortuna ordinem. Rectè igitur Flaccus:

Quod ſatis eſt, cui contingit, nihil amplius optet:

GRATA SUPERVENIET, *quæ non ſperabitur,* HORA.

Et Sophocles:

πάντων ἄριστον, μὴ βιάζεσθαι θεοὺς,
στέργειν δὲ μοῖραν.

PHILIPPI BELLICOSI COMITIS PALATINI RHENI.

Nichts unverſucht.

NIL fit INEXPLORATO. nam intentata relinquens,
Semper inexpertus permanet, atque rudis.

IMperatoris eſt prudentis, NIHIL INEXPLORATÒ agere, ait Livius lib. 10. Multa enim experiundo fiunt, ſecundùm Tacitum: contrà autem, ut Mimus habet,

Graviùs nocet, quodcunque inexpertum accidit.

τῶν δὲ ἀπειράτων ἄγνωστοι σιωπαὶ, teſte Pindaro. Itaque

NIL INTENTATVM virtus animoſa relinquit:
Omnia ſunt magnis experiunda viris.

Etenim, ut Manilius canit lib. 1.

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

GEORGII PALATINI, COMITIS SIMERENSIS.

Gott weis die Zeit.

Fide ſileque Deo: NOVIT DEVS utile TEMPVS:
Quo tribuat vitæ mollia fata meæ.

SYmbolum hoc extat in Pſalmo 69. TEMPUS BENEPLACITUM (id eſt, acceptum) SCIT DEUS. Item Pſal. 9. *DEVS adjutor in opportunitatibus.* Sic & Chriſtus apud Lucam c 12. DEUS (inquit) dat in tempore. Et Eſther orans: *Oſtende* (ait) *te nobis Deus in tempore.* Quin & Deus ipſe apud Moſem Deuter. c. 32. *Retribuam* (inquit) *in tempore.* Idem & Petrus monet Apoſtolus 1. epiſt. c. 5. Submittite vos potenti manui Dei: omni curâ veſtrâ in eum rejectâ: quippe cui vos curæ eſtis, ut vos evehat in ſuo tempore.

RICHARDI PALATINI
COM. SIMERENSIS.

O Gott gewehr/
Was ich begehr.

Quod cupio, capio, ſi fert divina voluntas:
FAC CUPIAM, *quod tu vis*, CAPIAMq; *Deus.*

PLerumque homines (ait Diogenes apud Laërtium) à Deo poſtulant, non quæ re verâ bona ſunt, ſed quæ his eſſe bona videntur. Sed *non verè is invocat Deum: qui ea deſiderat, quæ Deo diſplicent*: teſte Auguſtino. Eaque demum perfecta eſt oratio, ſecundùm Caſſiodorum: cùm & cauſa hominis clamat, & lingva, & actus, & ſermo, & vita, & cogitatio. Quæ ſanè parvi non eſt facienda: nam *aut, quod orantes petimus, dabitur, aut aliquid utilius*; ut ſcribit Bernhardus. Sæpe autem DEUS multos non exaudit ad voluntatem: ut exaudiat eos ad ſalutem; ait Auguſtinus. Itaque à DEO non eſt petendum, ut voluntatem noſtram cuncta ſequantur: ſed ut prudentiam, ac imò DEI potiùs voluntatem noſtra ſequatur voluntas: auctore Platone de L L.

CHRISTOPHORI PALATINI COM. SIMERENSIS.

Hab Gott vor Augen.

Si vis DEO placere, IN OCVLIS hunc HABE:
Sic intuetur in te amico lumine
DEVS viciſſim: ac deſtitutū ab omnibus,
Inopemqúe, ſanctâ te tuetur dexterâ.

PUlcrum ſanè eſt & glorioſum, verè poſſe gloriari cum Pſalmo XXV. JOVAM IN OCULIS SEMPER HABEO. Nam ut *oculi Domini*, ſecundùm Pſalmum 33. *ſuper juſtos ſunt:* ita oculi juſtorum ſemper ad Dominum directi eſſe debent, ac terreſtria quædam deſpicere, ſuſpicere autem cœleſtia: tùm verò in omni vitâ ita ſe gerere, ut meminerit, ſe DEUM habere teſtem & inſpectorem omnium actionum & cogitationum ſuarum: quem fallere & decipere nemo poteſt.

WOLFGANGI II. COMITIS PALATINI & VELDENTII.

VIVE MEMOR LETHI.

VIVE MEMOR LETHI: vives pius: hora ſuprema
Semina nequitiæ languidiora facit.

PErſianũ eſt Hemiſtichion: VIVE MEMOR LETHI, *fugit hora.* Cui ſimile eſt Chilonis illud apud Auſonium:

Vive memor mortis, memor ut ſis ipſe ſalutis. Et Siracidæ hoc c. 7. Memento exitus tui in omnib. negotiis: & nunquã peccabis. Nam, ſecundùm Auguſtinũ, *Metus imminentis mortis neceſſariò mentem concutit, & quaſi clavis carnis omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigit: nec quidquam ſic à peccato revocat, quàm frequens mortis meditatio.* Sic & Zaleucus in Legibus: Peccãdi (inquit) inhibitio quædã eſt, ſemper ante oculos ſibi ponere extremũ vitæ diem, quo anima à corpore ſejungenda ſit. Et Diogenes Philoſophus: *Magna tibi ſemper ſit curæ, migratio ex hac vitâ mortali: quæ tunc cura tibi verè futura eſt, ſi te mori meditaberis:* hoc eſt, Si adhuc vivens animam à corpore ſeparabis, ut Socrates hoc interpretatur: qui aliâs in Phædone Platonis Philoſophiam vocat mortis meditationem.

PHILIPPI LUDOVICI COM. PALAT. RHENI, DUCIS BAVARIÆ.

CHRISTUS MEUM ASYLUM.

Seu morior, ſeu vivo, MEVM ſit CHRISTVS ASYLVM:
Mortis hic & vitæ ſacra ſit ara meæ.

SErvorum aſyla in jure ſunt ſacræ ædes & ſtatuæ Principum: quas violare nemini fas eſt. Ex quo Æſchilus in Supplicib. κρείσσων γε πύργου βωμὸς, ἄῤῥηκτος σάκος: id eſt, *Melior turri eſt ara, validum ſcutum.* Quomodo & Euripides in Heraclidis aram deorum, commune eſſe omnibus aſylum ſcribit. Bion verò apud Stobæum ad virtutem, tanquam ad aſylum aut templum, confugiendum eſſe monet. Sed nullum profectò certius aut ſalutarius eſt aſylum, quàm CHRISTUS Opt. Maximus: qui omnibus piis, licet ſervis ac perfugis, at morte & ſangvine ipſius ſervatis, ſit tutus receptus, & ſacra ara quædam in vitâ & morte: in quo uno omnis ſalus, & libertas, & victoria eſt. De hoc loquitur Pſalmus 9. *Factus eſt* DOMINUS ASYLUM MEUM: *aſylũ opportunũ in tribulatione.* Et Pſalmus 18. Latibulũ (id eſt, aſylum) meum & ſcutum es tu Domine.

JOANNIS COM. PALATINI & BIPONTINI.

ILLUMINA OCULOS MEOS DOMINE.

Luce tuâ DEVS, oro, MEOS ILLVMINA OCELLOS:
Nam ſine luce tuâ nil videt omnis homo.

NOx eſt, vita præſens, ſecundùm Auguſtinum: *& tenebræ ſunt, ubi Chriſtus non reſpicit,* teſte Gregorio. Quippe qui eſt verè, ut Pſalmus loquitur, lux hominum: tanquam Sol juſtitiæ, illuminans omnia, ut Siracides ait: cui nec ipſæ tenebræ contenebrant: & cui nox ipſa ſplendet, ut dies, nullo tenebrarum lucisque diſcrimine, Pſal. 139. Ex quo rectè David orat in hoc ſymbolo: *ILLVMINA OCVLOS MEOS DOMINE: ne obdormiam in morte*, id eſt, ne deſperem de ope præſidioque Dei ipſius, Pſal. 13. Quod ſymbolum etiam apud Esdrã, c. 9. legitur. DEUS ſiquidem eſt, qui cœlos illuſtrat, Pſal. 146: quiq; illuminat omnes in ſe ſperantes. Sirac. c. 24.

OTHONIS HENRICI COMITIS PALATINI RHENI.

DEUM TIME, REGEM HONORA.

Cœli jura tenet Deus, at Rex orbis: HONORA.
Sic REGEM, *fido corde,* DEUMq́ue TIME.

PEtri Apoſtoli hoc eſt ſymbolum Epiſt. 1. c. 2. DEUM TIME, REGEM HONORA. Quod & apud Salomonem extat Proverb. c. 24. TIME DOMINUM AC REGEM. Et Siracides c. 10. *Qui timent* (inquit) *Deum, honorant Principem.* Quo ſanè ſymbolo officium præcipitur erga Regem & Magiſtratum: ſed ſuo ordine & modo. Magiſtratui enim *honor tribuendus eſt, qui non eſt religioni contrarius,* auctore Polycarpo. Oportet enim Deo magis obedire, quàm hominibus: ait Petrus in Actis Apoſtolorum.

FRIDERICI COMITIS
PALATINI RHENI.

JUSTITIA STABILITUR THRONUS.

JVSTITIA THRONVS Imperii STABILITVR in orbe.
Ille regit ſanctè, quem dea ſancta regit.

FUndamentum Reipublicæ eſt juſtitia, teſte Tullio: &, ut Auguſtinus vult, columen regnorum: quippe quâ ſolâ ſuſtentatur Reſpublica: ſine quâ ne Jupiter quidem Principem agere poteſt: ut Ludovicus Vives dixit. Quod & ſymbolum hoc innuit, paſſim à Salomone celebratum in Proverbiis. Sic enim c. 16. ſcribit: *Abominabilis Regi impietas: nam JVSTITIA STABILITVR THRONVS. Et c. 26.* Si impietatem à Rege abſtuleris, ſtabilietur juſtitiâ thron⁹. E contrario nihil eſt tam inimicum, quàm injuſtitia, Auguſtino teſte: ſiquidem *remotâ juſtitiâ, ut idem loquitur, quid ſunt regna obſecrò, niſi magna latrocinia?*

CAROLI COMITIS PALATINI RHENI & VELDENTII.

JUSTITIA EXALTAT GENTEM.

Sit juſtus, quicunque ſuam vult creſcere gentem:
JUSTITIA EXALTAT firmatam robore GENTEM.

SAlomon in Proverbiis c. 14. JUSTITIA (inquit) EXALTAT GENTEM: at perdit populũ injuſtitia. Etenim *propter injuſtitiam*, (id eſt, propter injurias & contumelias, & vi atque fraude partas opes) *regnum ab aliâ ad aliam gentem transfertur*: ut docet Siracides cap. 10. Quemadmodum propter crudelitatem Aſtyagis tranſlatum fuit regnum à Medis ad Perſas· τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκὺ, πικροτάτα μένει τελευτὰ, ſecundùm Pindarum. E diverſo autem *juſtitiâ & clementiâ ſtabilitur thronus*: teſte Salomone Proverb. 16. & 20.

ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων,
ut Heſiodus canit: &, ut Menander,
ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται.

WOLFGANGI-WILHELMI
COMITIS PALATINI.
EN DIOU MA CONSOLATION.

Spes eſt & MEA CONSOLATIO
ſemper IN VNO
Magna DEO: dici cujus & eſſe volo.

PAulus Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens c. 2. OMNIS (inquit) CONSOLATIO IN UNO CHRISTO. Et 2. Corinth. 1. *Per Chriſtum abundat conſolatio:* qui & DEUS conſolationis ab eodem aliâs nominatur. Hinc & Auguſtinus: *Hoc eſt, quod nos lætificat in omnibus laboribus ac periculis hujus vitæ: amor in DEVM, & pium ſtudium, & certa ſpes, & fervor ſpiritus.* Et alibi: *Quidquid præter Deum eſt, dulce non eſt: quidquid vult mihi dare Dominus Deus meus, auferat totum & ſe unum mihi det.* O ergo æterna veritas, & vera caritas, & cara æternitas: tu es Deus meus: ad quem ſuſpiro die & nocte.

Tu mihi ſola quies, tu mentis ſola voluptas,
Tu dulce ſolamen, DEVS:
Tu mea certa ſalus: tu, ſi me cura fatigat;
Mutas dolores gaudiis.

GEORGII-JOANNIS COMITIS PALATINI RHENI.

INVIA VIRTUTI NULLA EST VIA.

INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA: ſit viá quamvis
Ardua: victori ſit tamen inde levis.

NOn eſt ad aſtra mollis ę terris via, inquit Séneca. Et Claudianus:

Arcem ad virtutis longis ambagibus itur.

Nam, ſecundùm Saluſtium, virtutis iter arduum eſt: & ut Naſo canit, *Tendit in ardua virtus.* Sed tamen eodem auctore Poëta,

INVIA VIRTVTI NVLLA EST VIA:

&, ut Juvenalis vult, — *Semita certè*
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

Nihil enim tam altum natura conſtituit, quà virtus non poſſit eniti, teſte Q. Curtio: quoniam, ut Livio placet, pertinax virtus omnia vincit. *Nulla* autem *ſine labore virtus eſt: quia labor proceſſus virtutis eſt:* Ambroſio teſte. αἰεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον: ut Pindarus ſcribit in Olympiis,

GEORGII-GUSTAVI, COMITIS PALATINI RHENI.

SOLI DEO GLORIA.

Quidquid āgam patiarve, DEO ſit GLORIA SOLI:
Sit ſcopus hæc vitæ, meta ſit una meæ.

INdecens eſt ſtulto gloria, inquit Salomon in Proverbiis c. 26. & Paulus Apoſtol⁹ 1. Corinth. 5. non eſſe bonā dicit cujuſq; gloriationem: quippe *impiorū gloria verè eſt*, ut Matathias ait, *ſtercus & vermis*. 1. Macchab. 2. Nam, ſecundùm Publium,

Citò ignominia fit ſuperbi gloria.

Si igitur gloriari cupis, gloriam deſpice: & ſic omnibus præſtabis gloriâ, teſte Chryſoſtomo. Soli enim Deo Gloria debetur: qui, ſecundùm Pſalmum 24. Rex eſt gloriæ: & cujus gloria benedicta eſt in ſeculū. Ezech. 3. Rectè igitur Apoſtolus: *Qui gloriari vult, in Domino glorietur.* 1. Cor. 1.

JOANNIS FRiDERiCI II. DUCIS SAXONIÆ.

A. E. I. O. V.

Allein Evangelium Iſt Ohn Verluſt.

SOLVM EVANGELIVM SINE DAMNO EST: cætera damnum Cunctaferunt, damno mox peritura ſuo.

PAulus Apoſtolus I. Corinth. 9. ita ſe docere gloriatur: ut nullus in Chriſti Evangelio ſumtus fiat: non abutando ſuâ in eo libertate. Piè illud quidem, & verè. Siquidem *Evangelii ſermo ad omnia utilis eſt*, teſte Chryſoſtomo: quod & præterita & futura bona annunciat, eodem auctore. Imò quod, ſecundùm Apoſtolum, divina eſt potentia, ſalutaris omni fidenti. Rom. I. Nam in Evangelio quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas eſt. *Deus* ſiquidem *veritas eſt ſine fallaciâ, bonitas ſine malitiâ, felicitas ſine miſeriâ*, auctore Hugone.

JOANNIS WILHELMI
DUCIS SAXONIAE.

Herr lehre Mich deinen Willen thun.

QVOD VIS, ME FACERE ipſe DOCE DEVS optime: ſemper
Pareat ut verbo mens mea tota tuo.

PSalmi CXLIII. hæc vox eſt: DOCE ME FACERE VOLUNTATEM TUAM DOMINE. Pia quidem illa & ſalutaris vox, & Chriſtiano homine inprimis digna: quippe quæ omnem Deo laudem & gloriam tribuit bonæ non modò facultatis, ſed etiam voluntatis. *DEVS* enim *eſt* (ait Apoſtolus) *qui dat & velle & perficere, pro bonâ ſuâ voluntate*, Phil. 2. Quẽ locũ enarrãs Haymo: *Omne* (inquit) *bonum, quod habemus, tam bona voluntas, quàm bona operatio, non eſt à nobis, ſed à DEO.* Et alibi: Gratia Dei nos prævenit, ut velimus; & ipſa nos ſubſequitur, ut poſſimus.

JOANNIS FRIDERICI III. DUCIS SAXONIÆ.

HErr wie du wilſt.

QVO tu me ſervare MODO VIS, hoc age ſerva
Me tibi: nam quod vis, hoc potes omne Deus.

PUlcrè Chryſoſtomus ſuper Matthæum: Perfecta (inquit) oratio eſt fides & confeſſio. Qualis leproſi illa eſt oratio: *SI VIS DOMINE, potes me mundare:* quippe quâ & fidei & confeſſionis opus implet. Siquidem voluntas Dei opus eſt: & opera voluntati Dei obediunt, teſte Origene. Quanquam igitur voluntas Dei ad omne opus bonum parata eſt: ut, quod bonum eſt, hoc velle Deum, omnino homo credere debeat: tamen quia ignorat homo, an ſibi, quod deſiderat, bonum ſit futurum: non tam ſuam, quàm Dei fieri voluntatem, orare debet: auctore Chryſoſtomo.

JOHANNIS DUCIS SAXONIÆ.

DOMINE DIRIGE ME IN VERBO TUO.

HErr leite Mich in deinem Wort.

ME VERBO DUC ipſe TUO DUX optime CHRISTE:
Sit mihi dux verbi ſemita certa tui.

SUmmum & præcipuum opus eſt hominis Chriſtiani, verbo ſtudere divino: quod bene beateq; vivendi rationem docet: quo profectò duce errari nullo modo poteſt: in quo & ſalus eſt, & juſtitia, & vita æterna. Proinde ſummus Rex & Propheta David identidem ſymbolum hoc in Pſalmis repetens: DEDUC ME (inquit) DOMINE IN JUSTITIA TUA. Et Pſal. 119. *Deduc me in ſemita verbi tui, & in veritate tuâ:* ut ſcilicet credam rectè, & vivâ piè. Summa enim hæc duo & longè maxima bona ſunt: puritas doctrinæ, & vitæ integritas.

JOANNES, DEI GRATIA DUX SAXONIÆ, LANDGRAVIUS TURINGIÆ, & MARCHIO MISNIÆ

ἀναγραμματισθεὶς:

Gratia mira Dei: cui mens noſtra anxia nixa.
NOS IN LEGE TUÂ *ah* DIRIGE JOVA DEUS.

E. R. L.

FRIDERICI WILHELMI & JOANNIS FRATRUM, DUCUM SAXONIÆ.

ECCE QUAM BONUM & QUAM JUCUNDUM, HABITARE FRATRES IN UNUM.

Sub imagine
Oſculi Pacis & Iuſtitiæ, ex Pſal. 84.

QVAM BONVM ET QVAM JVCVNDVM eſt opus iſtud, IN VNVM Cõcordes FRATRES ſic HABITARE diu.

DAvidicum hoc eſt ſymbolum ex Pſalmo CXXXIII. quo ſummoperè cōmendatur concordia & mutuus amor inter fratres: utpote quo nihil ſuavius, nihil utilius, nihil firmius. Hinc & Salomon in Proverbiis c. 18. *Frater* (inquit) *à fratre adjutus, eſt tanquam civitas munita atq; excelſa, & æquipollet benè fundato palatio.* Vera hæc fraternitas nullis unquam caſibus ſcinditur: nec eam non ſolum diſſociare vel delere locorū temporũve intervalla prævalent: ſed nec ipſa mors divellit. Hæc φιλαδελφία ubicunq; locorum viget: ibi JUSTITIA & PAX, nobile illud virtutū par, ſibi occurrentes, mutuis ſeſe oſculis excipiunt: omniaque cōmoda perpetuò manſura divinitus redundant.

JOANNIS CASIMIRI ET JOANNIS-ERNESTI FRATRUM, DUCUM SAXONIÆ.

Fried nehrt / Unfried verzehrt.

Parvas auget opes felix CONCORDIA:*magnas*
Ceu diſſipat DISCORDIA:
Quâ non eſt gravior peſtis, neque fœdior ulla
In orbe, vel nocentior.
Si nec læva juvat dextram, nec dextera lævam;
Sed deſtruunt ambæ manus
Ipſas: omne perit decus, & vigor omnis, & omnis
Species honeſti corporis.
Non vis regnorum, non dives copia rerum
Sic uſpiam conſtat diu.
Ceſſat enim labor, & virtus, & gloria ceſſat,
Concordiæ ſoror Fides.
Publica res, privata ſalus, ars denique ceſſat:
Quæcunque ſunt recta & bona
Cuncta jacent: pereunt diſcordi cuncta duello:
Et mole ſic ruunt ſuâ.

*

Sit quamvis grandis, lapis integer innatat undis
Tyrrhenus: fractus ſidit & ima petit.
Sic genus humanum concordia ſuſtinet alma:
It peſſum, lis ſi diſſociare velit.
Lis odium generat: concordia nutrit amorem:
Ceu ſociam vitem Palladis arbor alit.

JOANNIS CASIMIRI DUCIS SAXONIÆ.

VIRTUS POST FATA SUPERSTES.

Omnia ſunt mortis: VIRTUS POST FATA SUPERSTES
Sola manet: virtus neſcia ſola mori.

SEneca in Hercule Oetao: *Nunquam* (inquit) *Stygias fertur ad umbras Inclyta virtus: vivite fortes: Nec Lethæos ſæva per amnes vos fata trahent: ſed cum ſummas exiget auras conſumta dies; iter ad ſuperos gloria pandet.* Et Ovidius:

Sufficit & longum probitas perdurat in ævũ.

Sed &, ſecundùm Plautum, *Qui per virtutem peritat, non pol interit.* Nam virtus quidem ad poſteros durabit: at non eò perveniet invidia, auctore Fabio. Quod alterum ejuſdem Principis ſymbolum docet Germanicum:

Elend nicht ſchadt/ Wer Tugend hat.

Patria enim, *ubi bene eſt:* ut Teucri vox illa habet. Neque verò exilium ibi eſt, ubi virtuti locus eſt. Nam hoc ſcelerum pœna eſt, cum quibus nullũ virtus habet commerciũ, auctore Tullio. Sic Auguſtinus: *Nec captivitas Chriſtianis nocet: quoniam illic Deũ ſuũ inveniunt.*

JOANNIS ERNESTI, DUCIS SAXONIÆ.

VINCIT SAPIENTIA ROBUR.

Weißheit gehet vor Stercke.

Si ratio vires VINCIT, SAPIENTIA ROBVR:
Fortior eſt, animus cui bene mensq; ſapit,

NEque roboris, neque fortunæ vis tanta eſt, quanta ipſius ſapientiæ. Rectè enim Juvenalis: *VICTRIX fortunæ SAPIENTIA.* Et Valerius Flaccus:

— *Sæpe acri potior prudentia dextrâ.*

Ea ſiquidem, Antiſthene teſte, murus tutiſſimus eſt: adeoq; ut Anaxagoras vult, maximum lucrum mortalibus. Neque viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur: ſed conſilio, & auctoritate, & ſententiâ: & plus aliquando poteſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Cicero Offic. lib. 1. Quin imò *virtus ſine ſapientia temeritas periculoſa putanda eſt*, teſte Auguſtino. γνώμη δὲ κρεῖσσον ἐστὶν, ἢ ῥώμη χερῶν, ſecundùm Menandrum.

FRIDERICI MARCH. BRANDEBURGICI ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGII.

DA PACEM DOMINE.

DA PACEM DEVS, ò pacem da quæſo: triumphis
Pax belli innumeris carior una manet.

SIGISMUNDI MARCHIONIS ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGII.

VIVIT POST FVNERA VIRTUS.

Vita fugax hominũ: VIVIT poſt FVNERA VIRTVS:
Cui ſuus ex merito non aboleſcit honos

VIrtutis poſſeſſio æterna eſt, ait Tullius. Et Comicus: *Perit voluptas, virtus immortalis eſt.* Quod & Periander monet: αἱ μὲν ἡδοναὶ θνηταὶ, αἱ δ᾽ ἀρεταὶ ἀθάνατοι. Neque verò ipſa per ſe virtus ſolùm immortalis eſt & æterna: ſed & poſſeſſores ſuos facit im̃ortales. χρονιώτατον γὰρ φάος εὐρυσθενέων ἀρετῶν, ſecundùm Pindarum: &, ut Euripides vult, ἁδ᾽ ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει:

Virtus bonis lucet viris jam mortuis.

JOANNIS SIGISMUNDI MARCHIONIS BRANDEBURGICI.

PRO LEGE ET GREGE.

PRO GREGE, PRO ſanctâ pugnandum LEGE libenter:
Lege Dei nihil eſt ſanctius, atque Grege.

*

PRO GREGE, PRO ſanctâ fundet Rex Lege cruorẽ:
Sic vitam pullis ſangvine reddo meis.

SYmbolo hoc olim uſus eſt ALPHONSUS Rex Aragonum, cum Pelecani, vel (ut quibuſdam placet) vulturis imagine & proſopopœja: IN ME MORS, IN ME VITA. Utraq; nempe avis ſuæ prolis amantiſſima fertur: cujus proterviam morte ulta merita; ſed mox facti pœnitens, lateris aut femorum vellicatione, vitali iterum ſangvine eam animat atq; ſoſpitat. Sic Princeps & Rex bonus ut ſaluti ſuorum conſulat, ſalutem ſuam negligit: imperium rectè judicans, ut ille dixit, curam ſalutis alienæ. Siquidem, ut Tullius ait, *boni eſt magiſtratûs, cum auxilia Reipublicæ labefactari convellique videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti fortuniſque omnibus, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute cõmuni ducere.* Pro C. Rabirio.

JOANN. GEORGII MARCHIONIS BRANDEBURGICI.

SI DEUS PRO NOBIS, QUIS CONTRA NOS?

SI DEVS eſt MECVM, CONTRA ME ferre QVIS auſit
Tela, manu tutum præſidioque Dei.

TAnta fidei veræ vis eſt; & tanta animoſitas: ut nec ſpe nec metu perturbetur: ſed unius Dei ſe permittat arbitrio: cujus in fide & benevolentiâ tutò conquieſcit: & exultans præ fiduciâ exclamat cum Pſal. 118. DOMINUS MECUM: NON TIMEBO: QUID FACIAT MIHI HOMO? Quomodo & Paulus ad Romanos c. 8. *Si DEVS* (inquit) *PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? Perſuaſiſſimum ſiquidem mihi illud habeo, quòd neque mors, neque vita, neque Dæmon, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque ulla alia rerum natura poſſit nos divellere ab amore Dei, qui eſt in* CHRISTO JESU. O Theſaurus igitur opulentior omnibus Fides! ô virtutibus omnibus fortior Fides! ô medicis ſalutarior omnibus Fides! ut cum Ambroſio ita nobis exclamare liceat

Symbolo hoc uſus quoque fuit GEORGIUS PIUS, MARCHIO BRANDEBURGICUS.

JOANNIS MARCHIONIS BRANDEBURGII.

QUÆ CÆSARIS, CÆSARI: QUÆ DEI, DEO.

QVÆ CÆSARIS ſunt, danda ſunt hæc CÆSARI:
QVÆ ſunt DEI, rurſus DEO.

HAnc Chriſti ſententiam apud Matthæũ c. 22. hoc modo expreſſit G. Fabricius:

Cæſar agit censũ: Chriſtus vult munera mẽtis:
Sint ſua jura homini, ſint ſua jura Deo.

Quæ autem ſint jura Cæſaris, & quæ Dei: pulcrè hoc docet Joan. Majoris Joachimici Epigramma:

Omnia quæ latè tenet orbis & arduus æther,
Vnus habet trino numine cuncta DEUS.
Hic cœlum Nato dedit, & corda addita cœlo:
Sed natis hominum terrea regna dedit.
Ergo poteſtati ſanctè parere neceſſe eſt:
Sunt ſua Cæſaribus, ſunt ſua danda DEO.
Principibus debetur honos, cenſusq́, timorq́:
Cordis amor puri, vota, fidesq́ue DEO.
Quæ duo cũ mandãt diuerſos numina cultus:
Primus honor Chriſti, Cæſaris alter erit.

GEORGII FRIDERICI
MARCHIONIS BRANDEBURGICI.

Alles zu ſeiner Zeit.

Quod bene vis fieri, fac ut cum tempore fiat:
OMNIA *namq;* SUO TEMPORE *facta valent.*

SOphoclis in Oedipo dictum eſt: πάντα καιρῷ καλά. Et Comicus in tempore fieri aliquid, rerum omnium primum eſſe putat. Quod & Salomonis docet Eccleſiaſtes c. 3. *Sua* (inquit) *cuique rei tempeſtivitas eſt: & OMNIA TEMPUS HABENT SUUM, quæcunque vigent ſub cœlo. Siquidem & naſcendi tempus eſt & moriendi: ſerendi ac metendi: deſtruendi ac conſtruendi: occidendi ac ſanandi: lucrandi ac perdendi: conſuendi ac diſſuendi: plorandi ac ridendi: lugendi ac ſaltandi: tacendi ac loquendi: amandi ac odio habendi: poſſidendi & abſtinendi: ſuum denique tempus eſt & pacis & belli.* Sic & Siracides c. 39. Omnia Dei opera ſunt bona, & omne juſtum tempeſtivum: nec licet dicere, Quid hoc? Quorſum hoc? Quoniam OMNIA IN SUO TEMPORE examinabuntur.

ALBERTI MARCHIONIS,
PRIMI DUCIS BORUSSIÆ.
JUSTUS EX FIDE VIVET.

Non ex ſuâ virtute, JUSTUS ex FIDE VIVIT: ſalutis una eſt norma ſic fides.

PAulus Apoſtolus de fidei juſtitiâ præclarè diſputans in epiſtola ad Romanos ſcriptâ, ſymbolum hoc inter alia recitat c. 1. ex Abacucho Prophetâ: Justus ex fide vivet. *Fieri* enim *non poteſt, ut ſine fide homo ſit juſtus coram Deo*: teſte Epiſtolâ ad Ebræos c. 11. Quippe ſolâ Dei gratiâ ſalvatur homo: non autem ex ſeipſo: Dei donum eſt: ne quis glorietur: eodem Paulo teſte Gal. 3. Sic nimirum *fides una eſt, quâ omnes ſalvari neceſſe eſt*: ut Auguſtinus ſcribit: & ob id fide carens, juſtus eſſe non poteſt, auctore Gregorio.

ALBERTI FRIDERICI,
MARCH. DUCIS BORUSSIÆ.

Kein Freud ohn Leid.

Sors nulla eſt longa: & NULLA EST SINCERA VOLUPTAS:
Lætitiæ ſemper vult comes eſſe dolor.

PUlcrè in Amphitruone Plautus: Ita comparatum eſt in ætate hominum, ita Diis placitum, voluptati ut mœror comes conſequatur: quin incommodi plus malique illicò adſit, boni ſi obtigit aliquid. Et Pindarus: ἓν παρ᾽ ἐσλὸν πήματα σὺν δύο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. Uſque adeo NULLA EST SINCERA VOLUPTAS: Solicitumque aliquid lætis intervenit: ut Naſo canit. Sic & Seneca:

Nulla ſors longa eſt: dolor ac voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas:
Imâ permutat brevis hora ſummis.

Sic nimirũ Angeroniæ ſemper in ſacello Volupiæ ſacrificandũ eſt. Semper enim, ut Chryſoſtomus loquitur, Deus læta miſcet triſtibus: &, ut Seneca, *in præcipiti ad dolorẽ vergit voluptas, niſi modũ teneas:* modũ autem tenere difficile eſt in eo, ꝙ bonũ eſſe credideris. *epiſt. 13.*

ALBERTI, CASIMIRI F. MARCHIONIS BRANDEBURGII.

FORTEM EXARMAT FORTIOR.

Vis vi victa cadit: victorem victor & ultor
Vltorem, FORTEM EXARMAT ſic
FORTIOR alter.

FOrtem fortior exarmat, ait Chriſtus in Lucæ Evangelio c. 11. Et Poëta Latinus: ULTOREM ULCISCITUR ULTOR, Quod Hectoris & Achillis exemplo notum eſt: de quibus ita ſcribit Homerus:

πρόσθε μὲν ἐσθλὸς ἔφευγε, δίωκε δέ μιν μὲν ἀμείνων:
Fugit; qui priùs acris erat, cum jam acrior (inſtat.

Quemadmodum & de Hyllo Herculis filio, & Euchemo Ægeate fertur illud apud Zenodotum:

ἐσθλὸς ἐὼν ἄλλου κρείττονος ἀντέτυχεν.

Et notum eſt Germanicum adagium:

Wer den andern vermag/
Der ſtöſſt jhn in den Sack.

HEINRICI DUCIS BRUNSVIGII ET LUNÆBURGII.

Mein Zeit mit Unruh.

Omnis vita labor: requies eſt nulla: QUIETE
TEMPUS *& hoc vitæ ſic* CARET *omne meæ.*

NIl agere, ſemper infelici eſt optimum, ait Publius. E diverſo labor & felicitatis & gloriæ pater eſt, teſte Euripide. πόνος (inquit) εὐκλείας πατήρ. Item:

χρὴ τὰς τύχας θηρᾶν ἀεὶ ἐκ τῶν πόνων.

Etenim, eodem auctore Comico,

σὺν μυρίοις τὰ καλὰ γίγνεται πόνοις:
Labore pulcra res egent quàm maximo.

ἁδ' ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων, eodem auctore. Sed & ſine labore tranſire non poſſumus æſtum hujus ſeculi, teſte Gregorio. Ex quo rectè homo Menandro animal laborioſum dicitur: verumque eſt Comici illud: *Vita vitæ nomen habet, ſed reipsâ eſt labor.* Congruit verò cum ſymbolo iſto ejuſdem Principis Epitaphium:

Quam mihi, dum vixi, requiem fortuna negavit;
Hac ego nunc ſaltem poſt mea fata fruor.

JULII DUCIS BRUN-SUIGII & LŰNÆBURGII.

ALIIS INSERVIENDO CONSUMOR.

Sub picturâ
Luminis iter monſtrantis.

Lux aliis lucens, ipſo conſumitur uſu:
Sic ego CONSUMOR, dum ALIIS
SERVIRE laboro.

*

Lucem aliis lucerna, ſibi dat deniq; noctem;
Atteror officii ſic ratione mei.

*

Ut candela ardens ipſo conſumitur uſu:
Attenuor ſtudii ſic pietate mei.

*

Ceu lucens proprio fathiſcit igne,
Dum candela aliis facem miniſtrat:
Sic donans aliis meos labores,
Attritus vigili ſeneſco curâ.

Joan. Stigelius.

ERNESTI DUCIS LÜNEBURGII & BRUNSUIGII.

ALIIS SERVIO, MEIPSUM CONTERO.

Sub pictura Lucernæ ardentis.

Lux aliis lucet, conſumit ſe tamen ipſa:
SERVIO ſic ALIIS, ME tamen ipſe TERO.

*

Dum flagrat miſeris ſuccurrere promta voluntas:
Officio pereo perditus ipſe meo.
Vt volucris, roſtro terebrans ſua pectora adunco,
Vivificat fœtûs mortua membra ſui:
Vtq; ſuo exſtincta moriuntur munere tandem,
Dum prabent aliis lumina clara, faces:
Largo ſic proprium depaſcit munere corpus,
Dux mitis populi victus amore ſui.

Baſil. Satler Th. D.

*

Vt lucens aliis ipſo depaſcitur uſu,
Dum jacit accenſam cerea tæda facem:
Sic ego dum fido ſuſceptas pectore curas
Suſtineo; ſtudii mole ſeneſco mei.

Joan. Stigelius.

HENRICI, ERNESTI F. DUCIS LÜNÆBURGENSIS ET BRUNSVICENSIS.

G. V. D. S. N.

Gott verleſſt die Seinen nicht.

Quos amat, ipſe SVOS *rebus* NON DESERIT *arctis,*
Quorum grata fides eſt pietasquê, DEVS.

QUoniam Deus æquus & juſtus eſt: perpetuò cuſtodit ſanctos ſuos: neque eos unquam deſerit in vitâ vel morte: ſed etiam ærumnis preſſos tandem liberat & ſalvat. Quò minùs ferre indignè debent pii homines: ſi florere interdum impios, & ab his devorari (ut Abacuc cap. 1. loquitur) pios videant: ne ob id ſe à Deo negligi putent. Quâ de re præclarè cõcionatur Pſalmus XXXVII. ex quo & ſymbolum hoc deſumtum apparet: *DOMINVS* (inquit) *judicium diligit: & NON DERELINQVIT ſanctos SVOS: ſed in æternum eos conſervat.* Et paulò poſt: Salus juſtorum à Domino: is eorum protector eſt in tempore tribulationis.

JULII ERNESTI, HENR. F. DUCIS LÜNEBURGII.

CONFIDE, RECTE AGENS.

Thue Recht / Laß Gott walten.

RECTE AGE; quidquid agis: nec multum cætera cura:
PROCVRARE DEVM cætera nempe SINE.

FRANCISCI, HENR. F. DUCIS LÜNÆBURGII.

JUSTUM NON VIDI DERELICTUM.

Floreat hîc opib. licet impius: HAUD *ope* VIDI
DESERTUM *ſuperâ, dum fuit uſq;,* PIUM.

*

Vidi ego jactatos vario diſcrimine juſtos:
Et vidi nullos deſeruiſſe Deum.

PLena conſolationis hæc vox eſt in Pſalmo 37. quâ ſuo exemplo, & communi rerum experientiâ probat David; piis hominibus nihil defuturum eſſe: *Junior* (inquit) *fui & conſenui: & NON VIDI JVSTVM DERELICTVM, nec ſemen ejus panem quærens.* Sic & Pſal. 34. idem canit: Divites eguerunt & eſurierunt: timentes autem Dominum nullo indigebunt bono.

WILHELMI ERNESTI F. DUCIS LÜNEB. & BRUNSUIGII.

Z. G. I. V. E. T. A.

SOLAMEN DEUS *eſto* MEUM, *curæque levamen*
UNUM : *cum mentem cura dolorq́ue premit.*

SIcut nullum eſt momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordiâ : ſic nullum debet eſſe momentum, quo Deum non habeat præſentem in mente ſuâ & memoriâ. *Omne* igitur *tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te perdidiſſe puta.* Hugo lib. 1. de clauſtro animæ.

ERNESTI WILH. F. DVCIS LŰNAEBURGII.

Z. G. M. T.

Sola meæ DEVS hîc præſtat ſolatia vitæ:
Cui bene qui didicit fidere, ſalvus erit.

MAgna conſolatio tribulationũ eſt, Dei auctoris dona ad memoriam revocare, ſecundùm Gregorium. Quod cum facit homo: rectè cum Bernhardo exclamare poteſt: *O quàm dives es in miſericordiâ: quàm magnificus in juſtitiâ: quàm munificus in gratiâ, Domine Deus noſter: non eſt quiſquam alius, qui ſit tui ſimilis: munerator copioſiſſime, remunerator æquiſſime, liberator piiſſime: gratis reſpicis humiles: juſtè judicas innocentes: miſericorditer etiam ſalvas peccatores.*

CHRISTIANI WILH. F. DUCIS LÜNEBURGII.

NE QUID NIMIS.

Omnibus in rebus modus eſt pulcerrima virtus:
Ne quid *agas, dicas nec, cupiaſve* nimis.

MOderatio virtutum omniũ pulcerrima eſt, teſte Ambroſio. Nihil enim eſt tam præclarum & tam magnificum: quod non moderatione temperari deſideret, ut Maximus ſcribit. Nam & ipſa virtus moderatio; &, ut vetus dixit Academia, mediocritas eſt. Quò etiam pertinet Delphicũ illud oraculũ: Μηδὲν ἄγαν: Ne quid nimis. Pernicioſiſſimum enim in omni vitâ eſt, quòd nimium eſt; út ait Plinius: adeoq́; , ſecundùm Plautũ, nimia omnia nimium exhibent ex ſe negotiũ mortalibus. Pulcrè igitur Bernhardus: *Tene modum: ſi non vis perdere modum: locus medius tutũs eſt: ſedes medii & modus, virtus.*

EJUSDEM.

Kom mir zu hülff HErr JEſu Chriſt/
Die Welt mir gar zu ſeltzam iſt.

EJUSDEM.

In Vnglück hab eins Löwen Muth/
Harr auff Gott/ es wird wol werdn gut.

AUGUSTI, WILH. F. DUCIS LŮNÆBURGII.

FIAT DIVINA VOLUNTAS.

Non mea, ſed FIAT ſemper DIVINA VOLVNTAS:
Cui me ſubmitto ſubjicioqúe libens.

QUis modus ſit orandi optimus, exemplo ſuo nos docet Salvator noſter Chriſtus: qui in agone ſuo ad Deum orans: Pater (inquit) ſi fieri poteſt, tranſeat à me iſte calix: verùm fiat tamen, quod tu vis, non quod ego volo. Et rurſus: Pater mi, ſi non poteſt tranſire iſte calix, niſi bibam: ſanè FIAT VOLUNTAS TUA. Quam locum enarrans Leo Papa: *Hæc vox* (ait) *omnes fideles inſtruit: omnes confeſſores accendit: omnes martyres coronat. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis perſecutorum poſſet ſuperare terrores: niſi Chriſtus in omnibus & pro omnibus Patri diceret,* FIAT VOLUNTAS TUA? *Diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filii: cum adverſitas violenter alicujus tentationis incumbit: ſeparato timore formidinis, accipiant tolerantiam paſſionis, &c.*

AUGUSTI DUCIS LÜNÆBURGII.

E. N. S. W. T. H.

Elend nicht ſchadt/ Wer Tugend hat.

Cui præſtò eſt virtus, ſors huic mala nulla nocebit:

Quem penes eſt virtus, poſſidet omne bonum.

FRIDERICI WILH. F. DUCIS LÜNEBURGII.

A. V. G.

Alles von Gott.

Fide Deo: nam ſponte piis Deus omnia donat.

Sic datur A ſolo, quod datur, OMNE DEO.

Cùm Deo confidimus, & Deum diligimus (inquit Caſſiodorus) omnia in eo reperimus. Unus eſt, qui quæritur Deus: ſed in Deo continentur omnia. O lucrum mirabile! ô compendium ſingulare, ſine omni diſpendio! Quis ergo non ad Deum feſtinet? Siquidem Cuncta à Deo bona non jam magis quærimus, ſed tenemus.

MAGNI WILH. F. DUCIS LUNAEBURGII.

A. I. G. G.

Alles in Gottes Gewalt.

Quæcunque cernis, aut quæ poſſides, DEI
Hæc IN MANU ſunt OMNIA.
Sic ô poteſtas ſic Dei vigeat diu
A ſeculo uſque in ſeculum.

MAgnitudo omnis in ſolo Deo eſt, ait Auguſtinus. Et Bernhardus: Quid eſt Deus? Longitudo, latitudo, ſublimitas, profunditas. Longitudo, propter æternitatem: latitudo, propter caritatem: ſublimitas, propter Majeſtatem: profunditas, propter ſapientiam. Deus amat, ut caritas: novit, ut veritas: judicat, ut æquitas: dominatur, ut Majeſtas: regit, ut principium: tuetur, ut ſalus: operatur, ut virtus: revelatur, ut lux: adſiſtit, ut pietas.

GEORGII WILH. F. DVCIS LŨNEBŨRGII.

UNICA SPES MEA CHRISTUS.

Quidquid agam patiarve, MEA eſt SPES VNICA CHRISTVS!
Huic vivo, huic moriar: cætera curo nihil.

JOHANNIS WILH. F. DVCIS LŨNÆBURGII.

A. G. T. J.
Allein Gott traw Ich.

VNI FIDO DEO: nec fruſtra fido: fidelis
Vni nempe DEO, non ſibi fidit homo.

*

VNI FIDO DEO: nil denique cætera curo:
Nam ſibi fidentes ſervat alitq́ DEVS.

BEne Caſſiodorus: Totum in ſe bonum habet homo, qui ſe habet: is autem ſe habet, qui DEUM habet: DEUM verò habet, qui eum credit & omnis boni confitetur auctorem.

OTHONIS DUCIS LUNEBURGII & HARBURGII.

Z. G. M. Z.

Zu Gott mein Zuverſicht.

In DOMINO ſtat firma meæ FIDUCIA mentis:
Cui vivo & morior: cætera curo nihil.

SAlomon Proverb. 22. In Domino (inquit) Fiducia. Et Jeremias Propheta c. 17. Dominus fiducia mea. Etenim ut prudentiæ confidere ſuæ peſſimum, ſive in religione, ſive in moribus, ſive in conſiliis: ita ſolius in fiduciâ Dei adquieſcere optimum eſt. Magna autem contra hoſtes generis humani arma ſunt, in viribus ſuis fiduciam non habere: ſed rogare Deum, qui opprimere poſſit & vincere adverſarium.

CHRISTOPHORI DUCIS LÜNÆB. & HARBURGII.

CONSILIO ET ARMIS.

Ille ſapit Dux, CONSILIO qui vincit ET ARMIS:
Nam ſine conſilio vis mihi nulla placet.

OMnia experiri priùs conſilio ſapientem quàm armis decet, inquit ille Comicus. Nam *vis*, ſecundum Flaccum, *expers conſilii mole ruit ſuâ*: &, ut Gregorius monet, niſi per conſilium fulciatur, valde deſtruitur fortitudo: quia quò plus ſe prodeſſe conſpicit: eò deteriùs virtus ſine moderamine in præceps ruit. Sic & Publius: *Conſilio meliùs vincas, quàm iracundiâ.* Item: *Fortuna nulli plus quàm conſilium valet.* Et Tullius: *Parva ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi.* Imo, ſecundùm Euripidem, τὸ νικᾷν ἐςὶ πᾶν εὐβȣλία. Nam, ut apud Plutarchum legitur, πολλὰς σοφὸν βȣ́λευμα ἐν νικᾷ χερας. Sed bene tamen res geritur (ut ſymbolum habet) CONSILIO ET ARMIS. ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμȣ, ἐπέων δ᾽ ἐνὶ βȣλῆ, ut eſt apud Homerum.

WOLFGANGI DUCIS

BRUNSUIC. & LUNÆ-BURGENSIS.

MODERATA DURANT.

Magna repentè ruunt: modicis eſt longius ævum:
Summa cadunt: DVRANT ſed MODERATA diu.

PHocylidæ ſententia eſt, paſſim ab aliis repetita: *πάντων μέτρον ἄριστον.* Cui Martialis illa reſpondet:

Illud,q́ mediũ eſt atq́, inter utrũq́; probatur. Modicis enim reb. & mediis non modò gratia ineſt major, ſed & ævum longius: ut apud Senecam eſt; & Corn. Gallum: adeoq;, ut in ſymbolo eſt, MODERATA DURANT· τῶν γὰρ μετρίων πρῶτα μὲν εἰπεῖν τοὔνομα νικᾷ, χρῆσθαί τε μακρῷ λῷστα βροτοῖσι. τὰ δ᾽ ὑπερβάλλοντ᾽ οὐδένα καιρὸν δύναται θνατοῖς, ait Euripides in Medea. Et Seneca: Quidquid exceſſit modum, pendet inſtabili loco. Sed &, ſecundùm Plautum, Qui quærit alta, is malum videtur quærere.

PHILIPPI DUCIS BRUNSVIGII ET LUNÆBURGII.

Schlecht vnd Gerecht.

Candida SIMPLICITAS; *Deus*, INTEGRITASQ.
Me ſervet: mea dũ ſpiritus oſſa regit. (*fidelis*

FRANCISCI DUCIS SAXONIÆ, ANGRIVARIÆ & WESTPHALIÆ.

MISERICORDIÆ TUÆ MULTÆ DOMINE.

Magna & MULTA TUÆ DEUS eſt MISERATIO mentis:
Juſtus ut es, ſemper ſic bonus eſſe ſoles.

MAla cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam, inquit Publius. At verò quæ bona eſſe hominis cauſa poteſt apud DEUM, quem ſubinde peccatis offendit ſuis atq; noxis? *Si* (ait Pſalmus 130.) *peccatorum habere rationem volueris Domine; Domine, quis ſuſtinebit iræ tuæ judicium?* Sed tamen idem Deus, qui eſt juſtus, bonus eſt & miſericors erga omnes, qui veniam quærunt delictorum ſuorum: & cum bonâ ſpe ac fiduciâ ad eum confugiunt. Quoniam, eodem Pſalmo teſte, *apud Dominum miſericordia & ſalus copioſa eſt.* Sic & Pſal. 119. MISERICORDIÆ TUÆ DOMINE ſunt MULTÆ. Et Auguſtinus: *Major eſt Dei miſericordia, quàm omnium peccatorum miſeria.* Itaque, eodem auctore, *non eſt quò fugias à DEO irato, niſi ad DEUM placatum.*

JOANNIS SENIORIS DUCIS SLESVIGII ET HOLSATIÆ.

Auff dich HErr traw ich.

UNI FIDO TIBI DEUS, *uni credo: ſalutis*
Tu Deus & vitæ ſis Dominusq́ue meæ.

PSalmi hæc vox eſt: IN TE DOMINE CONFIDO. Hanc explicans Remigius: Tota (inquit) fides mea in Chriſto eſt: per quem ſolum credo me juſtificari & ſalvari. Finis enim fidei meæ eſt Chriſtus, ait Beda: cui ſic placet fides: ut per eam omnes ſanet & ſalvet.

JOANNIS JUNIORIS DUCIS SLESVIGAE & HOLSATIAE.

Gott geb Glück mit Frewden.

Quidquid ago, DEUS hoc FORTUNET numine ſancto.
Sors mea quippe Deus maxima ſorsq́; manet.

FOrtunæ inane nomen eſt; ſiquidem in manu Domini (Pſal. 31.) omnis ſors eſt & fortuna humana. Malè autem geritur, quidquid fortunæ fide geritur, inquit Publius. Fortuna igitur à Deo uno petenda eſt: ſiquidem, ut Menander canit,

χωρὶς θεοῦ μὲν οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτῶν:
Mortalium nemo abſque Deo beatus eſt.
θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοῖς: Æſchyl.

ULDARICI HEREDIS NORVEGIAE, DUCIS HOLSATIAE.

DEXTERA DEI, SORS MEA.

SORS MEA, DEXTRA DEI. Sors ergo nulla nocebit,
Seu bona ſeu mala ſit: SORS MEA, DEXTRA DEI.

*

Nulla bonæ ſortis vis eſt ſuper orbe malæve:
DEXTERA nempe DEI SORS MEA ſola manet.

*

κατ' ἀνάγραμμα.

ULDARICUS HERES NORVAGIAE, DUX SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, ET DITHMARSIÆ.

Arrha meæ dulcis tu CHRISTE Jehova ſalutis:
O gravis (en!) alii; SORS MEA. DEXTRA DEI.

E. R. L.

ADOLPHI DUCIS HOLSATIAE, HAEREDIS NORVEGIÆ.

PLUS PENSER QUE DIRE.

PLVS COGITA QVAM DIC:

merces ſilentio
Tuta eſt fideli: noxa præſtò eſt garrulæ
Lingvæ: reverti miſſa vox neſcit magis:
Infrenis oris finis infortunium.

SApientis oratio in animo, non in ore naſcitur: ſicut Zeno dixit, τὸν φιλόσοφον εἰς νοῦν ἀποβάπτοντα δεῖν προσφέρεσθαι τὴν λέξιν. Nam recta ratio lingvæ moderatrix eſſe debet: ut ſapientia cum eloquentiâ ſemper conjungatur: quod fieri ita debere monet Cicero. Sic & Chilon ille unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus præcipit, γλῶτταν μὴ προτρέχειν τῆς διανοίας: & ſymbolum hoc docet, PLUS COGITANDUM QUAM LOQUENDUM eſſe: id eſt, ut Iſocrati placet, pauca & neceſſaria, eaque conſideratè prudenterque eloquenda eſſe. Sic Plautus in Epidico: PLUS SCIRE SATIUS eſt, QUAM LOQUI: ea ſapientia eſt.

FRIDERICI DUCIS HOLSATIAE.

QUOD CITO FIT, CITO PERIT.

QVOD CITO FIT, PERIT hoc CI-
TO rurſus, & interit omne;
Matura: quod agis, ſic bene cedet opus.

SCitũ eſt illud Catonis; Sat citò, ſi ſat benè. Nam, ut in ſymbolo eſt, QUOD CITÒ FIT, CITÒ PERIT. αὔξεται δ᾽ ἀρετὰ χλοεραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρον ἀΐσσει, ſecundùm Pindarum: adeoq;, ut Flaccus canit, *virtus & gloria creſcit occulto velut arbor ævo*. Sic & bona citò parta, citò dilabi conſtat: quòd ea plerumque ſint malè parta; quæ malè dilabuntur, ſecundùm Nevium. Sed & verum eſt Sophocleum illud in Oedipo:

φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ εἰσὶν ἀσφαλεῖς:
Quiſquis citò ſapit, nunquam tutò ſapit.

Quod & Actius approbare videtur apud Gellium; in juvenilibus ingeniis itidem, ut in pomis immaturis, ſibi placere affirmans acerbitatem: quippe ea demum matureſcere.

Quæ ſtatuenda ſemel, maturâ percoque mente:
Conſiliumq; tuum præcipitare cave.

Frid. Dux Holſatiæ.

PHILIPPI DUCIS HOLSATIAE.

NIHIL SINE CAUSA.

Quod fit in humanis rebus, NIL FIT SINE CAVSA:
Si quid ago, DEVS eſt cauſa ſed una, boni.

CElebratur hoc dictum à Platone in Timæo: NIHIL FIT SINE CAUSA. Quod & apud Polybium legitur lib. 3. de bello Punico. Sic & M. Tullius lib. 2. de Divin. *Quidquid oritur* (ait) *qualecunque eſt, cauſam habeat neceſſe eſt.* Et de Univerſitate: Omne, quod gignitur, ex aliquâ cauſâ gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei, causâ remotâ, reperiri origo poteſt. Sed DEUS quidem eſt omnis boni cauſa in naturâ, eodem Platone auctore: qui & ſummum bonum eſt, & fons bonorum: ſine quo bonum nullum eſſe poteſt.

Quid enim tenere vel bonum aut verum queat,
Qui non tenet ſummum caput
Veri boniqúe fomitem ac fontem DEVM?

ut eſt apud Paulinum.

JOANNIS ADOLPHI
DUCIS HOLSATIAE.

A. V. G.

Alles von Gott.

A ſummo venit OMNE DEO: fons ille bonorum,
Si neſcis, pariter finis & ipſe manet.

DEi totum eſt, quod eſt optimum: quippe qui ſummum bonum eſt: apud quem, & in quo, & à quo eſt omne bonum: ut, quidquid in homine bonum eſt, Dei ipſius ſit bonum. Rectè enim Jacobus Apoſtolus: *OMNE bonum eſt A DEO Patre luminum.* Et Paulus ad Romanos ſcribens c. 12. A DEO, & per DEUM, & in DEO ſunt OMNIA. Et Lucas Actor. 17. In DEO ſumus, vivimus, & movemur.

JOANNIS ALBERTI DUCIS MEGAPOLENSIS.

PREMENTE CRUCE TOLLIMUR.

Crux eſt ſancta, ſalus hominum; CRUCE nempe PREMENTE TOLLIMUR: ut tacta palma reſurgit humo.

PUlcrè Maximus: Tota vita Chriſtiani hominis, ſi vivit ſecundùm Evangelium, crux & martyrium eſt. Sed hæc quidem crux nihil eſt aliud, niſi jugum Domini: quod ſuave & dulce eſt, ſi cum Domino ſuſcipitur: cujus crux nobis, ut Auguſtinus loquitur, totius eſt cauſa beatitudinis: in quâ, ſecundùm Apoſtolum, omnis eſt ſapientia & gloria noſtra. O beata igitur & ſalutaris crux: quæ cum maximè cruciat, maximè beat: quæque inſtar palmæ preſſos pios erigit, & in altum ſublevat. Benedictus ergo Dominus, qui onus imponit quotidiè, & premit cruce: ſed eſt tamen ſalus & vita noſtra. Pſal. 62.

JOANNIS DUCIS MEGAPOLENSIS.

FER OPEM DOMINE, QUI SPEM DEDISTI.

Sancte DEVS FER OPEM, QVI SPEM mihi ſponte DEDISTI:
Quod ſum, quod ſpero, muneris omne tui eſt.

QUi gaudet in ſpe, tenebit & rem: qui autem ſpem non habet, ad rem non poterit pervenire, inquit Auguſtinus. A Deo igitur, qui ſpem dedit, opem homo petere debet: quam ſponte largitur Deus omnibus in ſe ſperantibus. Atqui eò ampliùs de ope & miſeratione divinâ ſperandum eſt: quò magis præſidia deficere videntur humana, teſte Ambroſio. Nam ubi humanum deficit auxilium, certò ibi incipit divinum.

SIGISMUNDI AUGUSTI DUCIS MEGAPOLITANI.

G. G. M. H. T.

Si DEVS eſt, velut eſt, MEA CONSOLATIO: fruſtrà
Diſcruciat mentem cura dolorque meam.

HULDRICHI DUCIS MEGAPOLENSIS.

TUA GRATIA MECUM DOMINE.

Sit tua ſit MECVM DOMINE ô TVA GRATIA ſemper:
Tu Deus & Dominus ſis maneasq́ue meus.

QVod ſumus, hoc omne Dei gratiâ ſumus. Nam ſecundùm Gregorium, divinæ gratiæ adſcribitur omne, quod proſperè á nobis geritur: quæ quidem, ut Auguſtinus ait, non ſolum adjuvat juſtum, ſed etiam juſtificat impium. Hæc igitur gratia ſemper à Deo petenda eſt: quæ & gratis datur, & gratis accipitur: imò uberior eſt gratia, quàm precatio, eodem Auguſtino teſte.

CHRISTOPHORI DUCIS MEGAPOLENSIS.

PIETAS TUTISSIMA VIRTUS.

Grata DEO pietas: PIETAS TVTISSIMA VIRTVS:
Quæ verum ad cæli ſidera monſtrat iter.

CAROLI DUCIS MEGAPOLENSIS.

PRINCIPIS EST VIRTUS MAXIMA NOSSE DEUM.

Principis eſt ſi prima DEVM bene noſcere virtus:
Principis eſt virtus altera, noſſe ſuos.

PRincipis eſt virtus maxima, noſſe ſuos, inquit Martialis. Rectè ille quidem: propterea quòd, ut Fl. Vopiſcus de Tacito ſcribit, Princeps omnibus quaſi pater conſulere debeat. Sed longè tamen, ut Poëta Chriſtianus ait,

Principis eſt virtus maxima, noſſe Deum:
quippe in quo ſumma eſt felicitas hominis & ſalus. Neque ſanè minor eſt virtus, noſſe ſeipſum: in quo & ipſo omnis ſapientiæ nervos eſſe ſitos, antiquitas tradit. Scitè igitur Plutarchus: *Sequi Deum, & ſeipſum noſſe, ſalutis ſumma eſt & perfectio.* Et Clemens Alexandrinus in Pædagogo, maximam & pulcerrimam omnium diſciplinarum eſſe dicit, ſeipſum & per hoc Deum noſſe.

BARNIMI SENIORIS DUCIS POMERANIAE.

H. G. Z. S.
Hilff Gott zur Seligkeit.

Vana ſalus hominis: TU DA DEUS ipſe SALUTEM:
A te nempe datur, non aliunde, ſalus.

NEMO tam ſtolidus eſt aut ignavus, ait Demoſthenes, ut ſalutem negligat ſuã. Id quidem verũ eſt de corporis ſalute, quam nemo non curat: parum ſolicitus interim de ſalute animæ; quæ æterna & immortalis eſt. Sed ut maximè de eâ homo ſit ſolicitus: nemo tamen ad ſalutem, niſi Deo invitante, venit: nemo invitatus ſalutem, niſi Deo auxiliante, operatur: nemo auxilium à Deo, niſi prece piâ & oratione, promeretur: teſte Auguſtino. *Orandum eſt* igitur, non ſolùm, quod Satyricus monet, *ut ſit mens ſana in corpore ſano*: ſed multò potiùs illud, ut ſalus nos ſervet atq; ſoſpitet ſempiterna: quæ à ſolo Deo datur: qui Soter eſt, & ſalutis Deus, ut Pſalmus loquitur.

PHILIPPI DVCIS POMERANIAE.

BONUM EST CONFIDERE IN DOMINO.

Tutius à rerum Domino eſt ſperare ſalutem:
Confidere armis quàm virorum Principum.

Fiducia in Deo vera omnem humanorum præſidiorum excludit fiduciam. MELIUS EST (inquit David Pſal. 118.) CONFIDERE IN DOMINO, QUAM IN HOMINE: melius, ſperare in Domino, quàm in Principibus, in quibus non eſt ſalus. Nam verùm eſt Pſalmi illud:

Vana ſalus hominis: Deus eſt ſpes una ſalutis.

JOANNIS FRIDERICI DUCIS POMERANIAE.

Gott gibt / Gott nimpt.

Quod vult, omne Deus dat, & aufert omne vi-(ciſſim:
O juſtum pariter munificumque Deum!

Piè admodum & ſanctè Jobus ille ſanctiſſimus & patientiſſimus mortalium, in magnâ afflictione ſeipſum confirmans ſolâ Dei bonitate & juſtitiâ: *DOMINVS* (inquit) *DEDIT, DOMINVS ABSTVLIT: ſit nomen Domini benedictum.* Quando enim non abſtulit, niſi quod dedit: ſua recipit, non noſtra abſtulit, ait Gregorius. Sic nimirum DEUS ſi fert auxilium, miſericors: ſi minùs, juſtus eſſe creditur.

BOGISLAI DUCIS POMERANIÆ.

Ehe wigs / dann waags.

PENDE PRIUS, DEIN AUDE.

vim ſapientia vincit:

Conſilio qui vim temperat, ille ſapit.

OMnia experiri conſilio ſapientem priùs quàm armis decet, inquit Comicus. *Parva* enim *ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi*, ſecundùm Tullium. Imò, ut Euripides ait, τὸ νικᾷν ἐστι πᾶν ἐυβουλία: & ut Publius,

Fortuna nulli plus, quàm conſilium, valet.

Sed & nulla alia actio conſilio & officio vacare debet: nec agendum quidquam in vitâ, cujus cauſam probabilem reddere non poſſis, auctore Tullio. Diu enim deliberandum eſt, quod ſtatuendum eſt ſemel: &, ſecundùm Publium,

Diu apparandũ eſt bellum, ut vincas celeriùs.

Sic & Saluſtius: Priùs quàm incipias, conſulto; & ubi conſulueris, maturè facto opus eſt. Et Seneca: Diu delibera, fac citò. Quò etiam reſpicit SVANTIBORI Ducis Pomeraniæ ſymbolum:

Auff Rath weile/
Zu der That eile.

ERNESTI LUDOVICI DUCIS POMERANIÆ.

ALIENA INSANIA FRUI OPTIMUM.

Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit:
Namq; OPTIMVM eſt ALIENA INSANIA FRVI.

PUlcrum eſt (inquit Comicus) ex aliis exemplum capere, tibi quod ex uſu ſiet. Et Publius:

Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuam.

Sic M. Cicero in Epiſtolis bellum eſſe ſcribit, ex aliorum erratis ſuam vitam in melius inſtituere. Et Naſo:

— Felix, quicunque dolore
Alterius didicit poſſe carere ſuo.

Etenim verum eſt Plinii illud: OPTIMUM eſt, ALIENA INSANIA FRUI. Et notum eſt vulgare illud:

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

BARNIMI DUCIS POMERANIAE.

MARTE VEL ARTE.

Principis egregii nomen laudemque tueri
Qui ſtudet, eſſe velit MARTE VEL ARTE bonus.

DUæ ſunt res, quæ poſſunt homines locare in ampliſſimo gradu dignitatis: una Imperatoris, altera Principis boni in Republicâ: ab hoc pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur, auctore Tullio. Pulcrum enim eſt benefacere Reipublicæ: ſed & bene conſulere, aut bene dicere haud abſurdum eſt: vel pace vel bello clarum fieri licet, ut Saluſtius habet. Quòd ſi utrumque hoc decus conjunctum ſit: maximè in viro Principe: ut ſit nimirum, ſecundùm Homerum,

ἀμφότερον, βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής:

ſanè præcipuam quandam hoc meretur laudẽ & gloriam. Quod Poëtæ olim Minervæ imagine repræſentare voluerunt: quæ, ut ille ait, *MARTE VEL ARTE ſimul pugnare in utrumque parata eſt:*

Quando Arti & Marti præſidet una Dea.

WILELMI DUCIS GELDRIAE.

BENEDICTUS, QUI VENIT IN NOMINE DOMINI.

Gloria laus & honor tibi ſit Rex CHRISTE Redemptor:
Nomine qui Domini, Rex benedicte, venis.

SAlus mundi eſt adventus Chriſti: cui & gloria debetur, & populi redemtio: ex quo rectè pubes Hieroſolymitana ingredientem in urbem Chriſtum ſalutat iſto carmine: *BENEDICTVS, QVI VENIT IN NOMINE DOMINI: Hoſianna in excelſis.* Quod ſumtũ eſt ex Pſalmo CXIIX. qui manifeſtè de Adventu Salvatoris ſcriptus eſt: in quo inter cætera hoc quoque legitur: O Domine, ſalvũ me fac: ô Domine proſperare: Benedictus, qui venturus es in nomine Domini. Pro eo enim, quod in LXX. habetur interpretibus: *O Domine ſalvũ me fac:* in Hebræo legitur, *Anna Adonai Oſianna.* Quod manifeſtiùs eſt interpretatus Symmachus: Obſecro Domine, ſalvũ me fac, teſte Remigio: quod autem additur, Oſianna, id eſt ſalus in excelſis: eo perſpicuè oſtenditur, quòd adventus Chriſti nõ tantùm hominis, ſed totius mundi ſalus ſit: terrena jungens cœleſtibus. Hieron.

WILHELMI DUCIS JULIACENSIS, CLIVENSIS ET BERGENSIS.

SPARTAM, QUAM NACTUS ES, ORNA.

Fac tua, quæ tua ſunt: SPARTAM, QVAM NACTVS ES, ORNA:
Cætera commenda perficienda Deo.

MEnelai hæc vox eſt apud Tragicum: Σπάρταν, ἣν ἔλαχες, κάτυτlω κόσμει. Quo monet, ſuum quemque negotium & munus rectè gerere, & in eo gerendo fidem diligentiamque præſtare debere; adeoque, quod Apoſtolus aliâs docet, propria agere: neque in alienis rebus nimis curioſum eſſe. Siquidem omnia ſimul & eadem rectè facere nemo poteſt, teſte Xenophonte: verumque eſt illud, quod proverbio dicitur,

ὁ πολλὰ πράττων, πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει.

Sed hoc quidem ſymbolum Plutarchus Soloni adſcribere videtur: quod confine ſit alteri Platonico: quod jubet τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, id quod præſens eſt, boni conſulere, & ſorte ſuâ contentum eſſe. κρεῖττον γάρ που σμικρὸν εὖ, ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς περᾶναι: ut Socrates docet apud Platonem in Theæteto.

JOANNIS WILHELMI DUCIS JULIACENSIS.

CHRISTUS SPES UNA SALUTIS.

Non lex aut virtus: CHRISTVS SPES VNA SALVTIS;
Fidentes ſuperâ qui ſibi ſervat ope.

PRæclarè Bernhardus: Æternam vitam nullis poteſt homo meritis promereri. Sufficit enim ad meritum, ſcire, quòd non ſufficiant merita. Itaque *ſolus Chriſtus* (ait Auguſtinus) *pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam: ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam.* Sic & Paulus 2. Timoth. 1. Deus (inquit) ſervavit nos, & evocavit vocatione ſanctâ: non ex operibus noſtris: ſed ex propoſito ſuo, & ex merâ gratiâ: quæ nobis data eſt in Chriſto JESU ante æterna tempora.

EBERHARDI DUCIS WIRTEBERGAE.

INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.

Vivendi rectè fons & SAPIENTIA PRIMA eſt
Et colere & puro corde TIMERE DEUM.

FIrmiſſimum eſt vitæ præſidium, timor Domini: ut Salomon docet in Proverbiis: qui & vitã affert, & docet ſapientiam, eodem auctore: à quo & ſæpius atq; iterum repetitur aureum hoc ſymbolum: INITIUM SAPIENTIAE, TIMOR DOMINI. Quod & Siracides paſſim inculcat in Eccleſiaſtico: & David in Pſalmo CXII. verè eos dicit ſapere, qui timent Deum: quorum & æterna laus, & gloria immortalis futura eſt. O beatũ igitur hominẽ, cui datũ eſt Dei timorẽ habere: qui verus eſt vitæ ſapientiæq; theſaurus: ut Jeſaias Propheta monet c. 33.

HULDRICI DUCIS WIRTEMBERGENSIS.

MANET ALTA MENTE REPOSTUM.

Quod ſemel amplector, MANET ALTA
MENTE REPOSTVM:
Tu mea petra Deus, tu mea turris eris.

GRavis animus dubiam non habet ſententiam, ait Publius: & Comicus:
ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους
καὶ νοῦς ἐχέφρων πᾶσαν ἕλκουσαν βίαν.
Nã auctore Theognide, ἀγαθός μὲν ἀνὴρ γνώμην ἔχει ἔμπεδον αἰεί: & ſecundùm Flaccũ,

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidà: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ
Nec fulminantis magna Iovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

ὅσοι δὲ πόλεμον εἰσὶν ἔμποροι, ἴσασιν ὅσον ἐστὶν εἰδέναι τὸ ἑστάναι: ut ait Chryſoſtomus.

CHRISTOPHORI DUCIS WIRTEMBERGENSIS.

V. D. M. I. Æ.

Fœnum omnis caro, ceu flos aret denique campi:
At VERBVM DOMINI TEMPVS IN OMNE MANET.

*

Meta manet ſua res hîc quasque noviſſima: VERBVM
Solius at DVRAT TEMPVS IN OMNE DEI.

*

Per mare Chriſtophorus fert Chriſtum, robore nixus
Arboris: & fax huic prævia monſtrat iter.
Per mundum, verbi cœleſtis robore fretus,
Aſtra petit, Chriſtum qui profitetur, homo.
Fons lucis, Chriſtus: fax ſunt oracula ſancta:
Indicium dubiæ ſollicitæq; viæ.
Quam quia tu ſequeris per mille pericula Princeps
Inclyte, Chriſtophori nomen & omen habes.
Scilicet ut VERBVM DOMINI MANET OMNE PER ÆVVM:
Sic neſcit pietas & tua fama mori.

EBERHARDI II. DUCIS WIRTEMBERGÆ.

Nach Gottes Willen gehets.

Sponte Dei quod ſit, bene cedit id omne: beatus,
Qui nil vult, niſi quod vult DEVS ipſe ratū.

BEne fit, quod fit ſponte Dei, id eſt, voluntate & conſilio. Nam voluntas Dei eſt ipſa facultas: quippe qui, quæ vult, facit omnia. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, ſecundùm Homerum: &, ut Pindarus canit, θεῶν τελεσάντων οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον. Itaque, ut Pandari illud habet apud Plutarchum,

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις:
Deo volente natabis in vimine:

πληροῖ δὲ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον καὶ παρ' ἐλπίδα κοῦφαν κτίσιν, eodem auctore Pindaro.

LUDOVICI DUCIS
WIRTEBERGENSIS.
Nur Gottes Wort gewiß.

Cætera nec ſpero, nec curo cætera multum:
CERTA DEVS VERBI SIT modo norma tui.

QUæſtus magnus eſt pietas, ſecundùm Apoſtolum: adeoq; precioſus theſaurus, verbum Dei: de quo certum eſſe, certa eſt felicitas, Nam, ſecundùm Pſalmum XIX. *Verbum DEI omni orizo & auro præſtantius eſt: ejusq́; poſſeſſio omnes alias poſſeſſiones longè ſuperat.* Rectè itaque Apoſtolus Coloſs. 3. Sermo Dei inter vos habitet opulentè cum omni ſapientiâ. Et Bernhardus: *Felix mens, cui verbum eſt invidus comes.* Quippe quo animus hominis illuminatur ad cognitionem: quo reformatur ad ſapientiam: quo fruitur ad jucunditatem: cui conſentit ad correctionem: cui innititur ad virtutem: cui conformatur ad decorem: cui deniq; maritatur ad fœcunditatem: eodem Bernhardo auctore.

FRIDERICI DUCIS WIRTEBERG.

DEUS ASPIRET COEPTIS.

Si DEUS ASPIRET COEPTIS *curſusq́; ſecundet:*
Quæ gerit, ex animo tunc homo cuncta gerit.

NOn tam à Deo petendum, ut ea, quæ in noſtrâ poteſtate ſunt, faciamus: quàm ut ea, quæ facturi ſum⁹ ex officio, Deus benè fortunet. Omnium igitur rerum gerendarum à Deo primordia capienda ſunt, auctore Tullio. Quod & Nazianzenus præcipit in illo verſu:

ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν:
Rerum omnium fac principium & finem Deum.

Sic & Livius lib. 8. dec. 4. Romanos omnibus rebus incipiendis Deum adhibuiſſe teſtatur. Et Socrates apud Xenophontem in Oeconomico *σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου*: & Pindarus in Iſthmiis *παντὶ θεὸν αἰτίαν ὑπερτιθέμεν* jubet.

PHILIPPI LANDGRAVII
HASSIÆ.

Was Gott beſchert /
Bleibt vnerwehrt.

QVOD DAT cuique DEVS; nec impe-
Sors, nec tollere vis poteſt maligna. (*dire*
O ſtultum invidiæ procacitatem!
Amat quem Deus, odit illa fruſtra.

Pulcrè Nazianzenus:

θεοῦ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος·
καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει πόνος.

Plerunque enim felicitatis comes eſt invidia: neque facilè reperitur beatus homo quiſquam, ut Theognis ait,

ὅν τε θεοὶ τιμῶσι, καὶ ὃν μωμεύμενος αἰνεῖ.

Sed fruſtrà quidem invidetur virtuti benignitatiq; divinæ: quod quid eſt aliud, niſi, ut Pindarus vult, πρὸς θεὸν ἐρίζειν: quod magnæ profectò impietatis & ſtultitiæ eſt. Rectè igitur Palladas:

ὦ τῆς μεγίστης τοῦ φθόνου πονηρίας·
τὸν εὐτυχῆ μισεῖ τις, ὃν θεὸς φιλεῖ.

WILHELMI LANDGRAVII HASSIÆ.

VIVIT POST FUNERA VIRTUS.

Cunctꝫ mori certum eſt: VIVIT POST FVNERA VIRTVS:
Immeritis, cœlum pandit & aſtra, mori.

SOla ex rebus humanis virtus in ſuâ poteſtate eſt: neque ulli fortunæ dominationi ſubjecta: quæ & lucet in tenebris: ſplendetq́ue per ſe ipſa ſemper: & perpetuum atque individuum habet comitem laudem ac gloriam: quæ efficit, ut mortui vivamus: cujus gradibus etiam homines in cœlum videntur adſcendere. Sic nimirum virtus nec oblivione eorum qui ſunt, necreticentiâ poſterorum unquam ſepelitur. Quibus enim gradibus Romulus adſcendit in cœlum? an non rebus geſtis atque virtute? Quod & Hercules de ſe fatetur apud Senecam: Virtus mihi in aſtra & ipſos fecit ad ſuperos iter. Sic Horatius:

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:
Catusq́ue vulgares & udam
Spernit humum fugiente pennâ.

LUDOVICI LANDGRAVII HASSIÆ.

I. G. G. I. A. N.

Ich getraw Gott in aller Noth.

FIDO DEO, quoties ſors hîc me dura fatigat:
Qui didicit Domino fidere, ſalvus erit.

PIè omninò & ſanctè Bernhardus: Hoc ſapere eſt, ex fide vivere. Si ergo hoc ſapimus; cur adeo cunctamur abjicere omnes ſpes miſeras, vanas, inutiles: & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, quæ in Deo eſt, totâ animi devotione, & omni fervore ſpiritûs inhærere? Is nimirum, qui verbo omnia poteſt, ſi ſalvare nos decreverit, continuò liberabimur: ſi vivificare, vita in voluntate ejus poſita eſt: ſi præmia largiri æterna; licet ei, quod vult, facere: denique quomodo deſit in ſe ſperanti illa majeſtas, quæ tam ſtudiosè monet in ſe ſperari? Planè non derelinquet DEUS in ſe ſperantes: quos & adjuvabit, & liberabit: nullo alio merito, quàm quòd in eo ſperaverunt.

PHILIPPI II. LANDGRAVII HASSIAE.

M. H. Zu Gott.

SPES MEA tu DEVS es: timor hanc ſi fortè malorum
Vincit, vincit amor mox bonitasquę Dei.

SUmma perfectionis eſt, ſperare in DEO, inquit Aponius. Qui autem ſperat, credit in Deum: quoniam ſine fide ſpes nulla eſt: defectus autem ſpei, ſimul eſt defectus fidei. Qui enim non credit, nec ſperat. Spes igitur certa eſt cum fide, quâ nihil eſt certius. Quæ quidem ſpes una & ſola eſt ſalutis noſtræ anchora, & vitæ noſtræ fundamentum, & itineris dux, quo ad cœlum itur, teſte Rabano.

*

In ſolo ſperare Deo tutiſſima res eſt:
Nam ſibi fidentem gratia diâ beat.

GEORGII LANDGRAVII HASSIÆ.

RESPICE FINEM.

Quidquid agis, prudens age: ſic & RESPICE FINEM:
Sic tu, quæ proſunt, res bene ſemper agis.

BEnè Seneca: Felicitas eſt, in felicitate mori. Et Solon Crœſum monet τέλ☉- ὁρᾶν μακρȣ̃ βίȣ, id eſt, ut Satyricus ait, reſpicere extremæ ſpacia ultima vitæ: cum nemo ante mortem beatus dici poſſit. Neque enim in aliquâ parte, ſed in perpetuitate temporis, vita beata dici ſolet: neque appellatur omninò vita beata, niſi confecta atque abſoluta: nec poteſt quiſquam aliâs beatus eſſe, aliâs miſer: ſed cum ſemel eſt ſuſcepta beata vita; tam ea permanet, quàm ipſa effectrix beatæ vitæ ſapientia: quam uſque ad rogum, id eſt, mortem ita ſecum profert, auctore Tullio. Sic & Naſo:

— Vltima ſemper
Exſpectanda dies homini eſt: diciq́ʒ beatus
Ante obitum nemo ſupremaq́ʒ funera debet.

MAURICII LANDGRAVII HASSIÆ.

LEX JUSTO NON EST POSITA.

Lex inventa metu injuſti, ceu regula juſti;
At JUSTUS, *lex eſt qui ſibi*, LEGE CARET.

JUra inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt; ut Flaccus canit. ὁ γὰρ νόμ⊕, Ariſtotele teſte, ἐν οἷς ἀδικία: verumque eſt, quod Macrobius ſcribit, leges bonas ex malis moribus procreari. Leges enim pravorum morũ ſunt veluti remedia quædam, ſicut morborũ medicamenta. Sic Chriſtus ipſe in Evangelio ſanis haud medico opus eſſe dicit, ſed ægris. Nam, ſecundùm Poëtam,

Firma valet per ſe, nullũq; Machaona quærũt.

Eodem modo LEX JUSTO NON EST POSITA, Apoſtolo teſte: ſed injuſto, aut ſaltem metu injuſti: ſiquidem *juſtus* ipſe ſibi pro lege eſt, etiamſi nullam aliam legem habeat.

LUDOVICI GEORG. F. LANDGR. HASSIÆ.

I. T. D. C.

IN TE *ſpe certâ nixus* CONFIDO JEHOVA:
Nam mea certa ſalus pendet ab arce tuâ.

ERNESTI MARCHIONIS BADENSIS.

Schertz nicht mit ERNST.

Seria ſi cui res agitur, malè luditur illo:
Difficile eſt, triſti fingere mente jocum.

SUmmæ amicitiæ eſt, cum aliquo joca ſeriaque, ut dicitur, arcana & occulta omnia conferre, teſte Tullio. Verùm ita tamen jocandum eſt, ut ſeria agas: quod Anacharſis ille præcepit, παίζειν, ὅπως σπουδάζῃ. Nam ſtudere ac laborare ſaltem luſus aut joci gratiâ, admodum videtur ſtolidum ac puerile, teſte Ariſtotele. Sed hoc ipſum tamen rectè moderatur & tempus, & locus, & rei ipſius opportunitas. Nã iñ re ſeriâ velle ludere, nec utile nec decorum eſt: & ſecundùm Poëtam,

Difficile eſt triſti fingere mente jocum.

Quippe, ut Sophocli placet,

οὐ ναῦλα κωνυποῖσιν, οὐ λύρα φίλα.

Adeo ſecundùm Catullum, riſu inepto res ineptior nulla eſt. Rectè etiam Flaccus:

Miſce ſtultitiam conſiliis brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

Nec enim facundia ſemper adductâ cum fronte placet: ut eſt apud Lucanum.

CAROLI MARCHIONIS BADENSIS.

Gottes Rath am beſten.

Certa Dei mens eſt, hominum ſententia fallax:
Solum quippe bonum, quod jubet ipſe Deus.

SApientia humana ſine Deo vel nulla eſt, vel exigua ſaltem, aut etiam pernicioſa, teſte Platone. Nam, ſecundùm Pindarum, ἀγαθοὶ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμονα ἄνδρες ἐγένοντο. Conſilium autem omne, quod bonum eſt, à DEO eſt: à quocunque proficiſcatur, auctore Auguſtino: id verò ſolum ſequi in vitâ, ut rectiſſimum, ità tutiſſimum eſt: quandoquidem ſolus Deus verax eſt: omnis autem homo mendax, ut Pſalmus habet. Sed & omnis via quidem homini recta videtur: at corda certiora facit Dominus: Salomone teſte in Proverbiis,

ERNESTI FRIDERICI MARCHIONIS BADENSIS.

G. M. G.

Tandem ego te Dominum ſuſpiro poliq́ ſoliq́:
Summum nempe MEVM es ſumme JEHOVA BONVM.

JACOBI MARCHIONIS BADENSIS.

S. M. D.

Susceptor meus *eſto* Deus, *roburq́ ſalutis.*
Me tibi committo ſorte tonante minas.

EJUSDEM.

DILIGITE JUSTITIAM QUI JUDICATIS TERRAM.

Dilige juſtitiam, terram quicunque gubernas
Judex: ſic ſapiens nos docet ille Philo.
Symbolon hoc tibi nempe placet: te quippe JA-
Cõmonet officii, Marchio magne, tui. (COBE
Judicet ut Princeps bene, lanx hoc põderet omne
Juſtitiæ: vires temperet inde ſuas.
Felicem populum ſi Princeps jure, vel æquo
Se magis, arbitrio quàm regit ipſe ſuo.

PHILIBERTI MARCHIONIS BADENSIS.

Gott vertrawt/ Wol gebawt.

FIDE DEO: quicunq; Deo benè fidit, is herclè
Quod facit, hoc rectè providus omne facit.

ELeganter Bernhardus: Non fidei, ſed perfidiæ; non confidentiæ, ſed diffidentiæ eſt, in ſemetipſo fiduciam habere. Is igitur fidelis eſt: qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat: ſed & Deo credit, & in Deo uno ſpem omnem & fiduciam collocat ſuam: & hoc modo, ut idem Bernhardus monet, perdit animam ſuam; quò cuſtodiat eam, & ſervet in vitam æternam. Hæc nimirum eſt vera fides: quæ, ſecundùm Chryſoſtomum, lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ. Ergo

Fide Deo: diffide tibi: diffide patronis,
Diffide Patri, & Regibus.
Soli fide DEO: qui, cum ſpes deficit omnis,
Hominesqúe jam te deſerunt;
Tunc tibi fidus adeſt demum: tunc incipit (ille,
Lætoſqúe donat exitus.

Nathan Chytræus.

RUDOLPHI PRINCIPIS ANHALTINI.

Allezeit in Sorgen.

Sub pictura Leonis pedem nudæ virgini porrigentis ſub quercu.

Cura trahit curam: virtutem cura fatigat.
Nullaqúe res curâ magna vacare poteſt.

FAbii ſententia eſt: Ocium, ſecuritas eſt: negotium, ſolicitudo & cura. Neq; enim conſentaneum eſt, Tullio auctore, ullam honeſtam rem actionemve, ne ſolicitus ſis, aut non ſuſcipere, aut ſuſceptam deponere. Quòd ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt: quæ neceſſe eſt, ut cum aliquâ curâ res ſibi contrarias adſpernatur atq; oderit. Enimvero ſtulta cura eſt, eodem Fabio auctore, quæ ſpem non habet. Quippe ſolicitudo, ſecundùm Chryſoſtomum, deſperationis filia eſt: & ut Pacuvius dixit apud Nonium,

Lapit cor cura, ærumna corpus offendit.
Quapropter edulcare convenit vitam,
Curasqúe acerbas ſenſibus gubernare:

ut Marii illud habet apud Crinitum. Pulcrè enim Palladas:

Si quid cura poteſt, cura: quòd ſi Deus ipſe
Te curat, cur te cura fatiget iners?

GEORGII PRINCIPIS ANHALTINI.

PARS MEA DOMINUS.

Spes mea magna DEVS: DOMINVS MEA PORTIO magna:
Felix, hæredem cui licet eſſe Dei.

OMnia habet, qui DEUM habet, ait Chryſoſtomus: & qui verbum Dei poſſidet, omnia poſſidet. Ex quo rectè Pſalmus CXIX. *Portio* (iuquit) *MEA DOMINE,, verbi tui cuſtodia.* Et Pſalmus CXLII. *Tu DOMINE es ſpes mea, & PORTIO MEA, quamdiu in terris vivo.* Etenim, teſte Hieronymo, omnia eſt Chriſtus: ut, qui omnia propter Chriſtum dimiſerit, unum inveniat pro omnibus: & liberè poſſit exclamare: PARS MEA DOMINUS.

JOACHIMI PRINCIPIS ANHALTINI.

Alles zur Ehre Gottes.

Quidquid fit, AD DEI *fit* OMNE GLORIAM;
Cum ritè fit: ſi non, malum hoc & noxium eſt.

TOtius vitæ noſtræ, & cujuſq; operis noſtri in eâ finis ſummus, & ſummũ bonum eſt ſola Dei laus & gloria: quæ à nobis ipſa per ſe & propter ſe expetenda eſt, & ad eam omnia referenda. Quod & Paulus Apoſtolus præcipit 1. Corinth. 10. *OMNIA AD DEI GLORIAM facite.* Sic & Auguſtinus in Pſalmum 119. Deum non niſi propter Deum colendum eſſe dicit: ut ſui cultûs ipſe ſit merces: ſicut & aliâs M. Cicero officii fructum docet eſſe ipſum officium. Verè enim ſancta illa immortalitas eſt, cũ Deum ſummè amamus propter ſeipſum, auctore Lactantio: adeoq; ſecundùm Salomonem in Sapientiâ c. 10. *Dominus eſt merces juſtorum.*

BERNHARDI PRICIPIS ANHALTINI.

Die Furcht des HErrn iſt ein Kron der Weißheit.

Vt rectè ſapias, Deum timere
Fas eſt. nam SAPIENTIÆ CORONA,
Si neſcis, DOMINI eſt TIMOR: beatus,
Cui ſancta datur hæc corona vitæ.

TIMOR DOMINI (ait Siracides c. 1.) eſt decus, & gloria, & lætitia, & CORONA pulcerrima: Timor Domini delectat cor, & affert lætitiã, & longum vitæ ſpacium. TIMOR DOMINI eſt CORONA SAPIENTIÆ, afferens pacem & ſalutem uberrimam. Timor Domini eſt abundantia & radix ſapientiæ. Sic Bernhardus: Salus nulla eſt abſque ſui cognitione: à quâ mater ſalutis humilitas oritur & timor Domini: qui & ipſe ut ſapientiæ, ita & ſalutis eſt initium.

JOACHIMI ERNESTI
PRINCIPIS ANHALTINI.

IN SPE ET SILENTIO.

IN SPE SILENTIOQVE virtus eſt mea
Ac fortitudo. Qui ſilet rectè Deo,
Ac ſperat in ſolo Deo, beatus eſt.

TAntum Dei donum eſt virtus animi, quæ patientia dicitur; ut etiam Dei ipſius, qui eam largitur, prædicetur patientia, Auguſtino teſte. Quam ſymbolo hoc nobis commendat Salvator noſter apud Lucam c. 21. IN PATIENTIA ET SPE erit fortitudo veſtra. Quod ex Eſaiæ ſumtum eſſe videtur cap. 30. IN SILENTIO ET SPE *ſit fortitudo veſtra.* Nam & eam ob cauſam differt ſuſpenditque Dominns, ut veſtri miſereatur: quia Deus juſtus & æquus eſt: quem qui cum ſpe & fiduciâ exſpectat, is eſt beatus. Sic & Pſalmus XXXVII. *Sile* (inquit) *Domino, & præſtolare eum.* Et Jacobus in epiſtola cap. 1. Fides vera operatur patientiam: patientia autem uſque ad finem perſeverat.

CHRISTIANI PRINCIPIS ANHALTINI.

D. D. D.

DE SVPERis DONVM DATVR omne: bonumq́, quod uſquam eſt,
A patre nempe Deo cœlitus omne datur.

OMne bonum DONUM, omneq́ue perfectũ munus DESUPER DATUR: deſcendens à patre luminum: penes quem non eſt mutatio âliqua aut viciſſitudo lucis ac tenebrarum: ait Jacobus in epiſtolâ. *Tanta* enim *Dei bonitas eſt: ut ante oculos ipſius*, quemadmodum Gregorius loquitur, *nunquam ſit vacua manus à munere: ſi arca cordis plena ſit voluntate bonâ.* Sed nec tam avida eſt mens hominis ad accipiendũ; quàm manus Dei promta ad dandũ: ut pulcrè dixit Taulerus. *εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεῶν*, ſecundùm Æſchylum: ex quo rectè ab Homero vocantur *θεοὶ δωτῆρες ἐάων*.

JOANNIS LANDGRAVII LEUCHTEBEKGII.

TIBI DEUS SOLI GLORIA.

Sit TIBI laus, ſit honor, DEVS, & ſit GLORIA SOLI:
Quantus ſum, tantus glorior eſſe tuus.

CAnticum Angelorum eſt in Lucæ Evangelio: Gloria in excelſis DEO. Et apud Eſaiam c. 6. *Sanctus Dominus, Dominus ſanctus, ſanctus Dominus: pleni ſunt cœli & terra gloriâ tuâ DOMINE.* Sic & Propheta Pſal. 138. Magna eſt gloria tua Domiue. Et Salomon 1. Paral. 29. TUA eſt DEUS GLORIA. Et Manaſſes Rex in oratione ſuâ; TIBI DEUS SOLI GLORIA. 1. Paral. 39. De quo & ipſe Deus Eſaiæ c. 42. *Gloriam* (inquit) *meam alteri non dabo.* Sic igitur Domino Deo gloriã dare in omnibus, fas & pium eſt: neq; de virtute ſuâ multum gloriari. Nam, ſecundùm Auguſtinum, *ſecuritas laudis in laude Dei eſt:* juſtus autem ex laude ſuâ pellitur, ut monet Gregorius. *Sit igitur gloria & laus Domini in æternum.* Pſal. 104.

GEORGII LUDOVICI
LANDG. LEUCHTEBERGII.
FIAT VOLUNTAS TUA DOMINE.

Quodvis, ſancte DEVS, fas eſt ſanctumque: VOLVNTAS
SITquoque SANCTA mihi ſit TVA, ſancte DEVS.

ALienæ voluntati voluntatem propriam ſubjicere, majoris eſt meriti, inquit Gregorius. *Tunc* autem *homo ab humanis in divina rectè porrigitur: cum voluntati humanæ divina voluntas præponitur*, teſte Auguſtino. Juſtitia Dei eſt, aliquando ut ſis ſanus, aliquando ut ægotes. Si, quando ſanus es, dulcis eſt Dei voluntas: & quando ægrotas, amara eadem eſt: non recto corde es. Cur? Quia non dirigis voluntatem tuam ad Dei voluntatem: ſed Dei vis curvare voluntatem ad tuam. Illa recta eſt: ſed tu curvus es. Atqui voluntas tua corrigenda eſt ad illam: non illa ad te curvanda eſt: & tunc rectum cor habebis: ut pulcrè idem Auguſtinus docet Pſal. 35.

GEORGII DUCIS LIGNICENSIS & BRIGENSIS.

PROPE EST DOMINUS.

Auxilio PRÆSTO EST DOMINUS, *cunctisq́, periclis*
Eripit, hunc verâ qui pietate colunt.

PRopè EST DOMINUS omnibus in fide & veritate ſe adorantibus, ait David Pſal. 145. & Pſal. 34. *PROPE EST DOMINUS omnib⁹ contritis corde: & ſpiritu humiles ſalvat.* Sic Paulus ad Philippenſes c. 4. ſcribens: DOMINUS (inquit) PROPE EST: ne ſoliciti eſtote. Et Deus ipſe apud Eſaiam c. 46. *Ad exiguum momentum adhuc te deſero.* Quæ ſanè dicta omnia ut conſolationis, ita doctrinæ habent plurimum. Etenim, ut ait Seneca epiſt. 41. PROPE EST DEUS: tecum eſt: intus eſt: ſacer inter nos ſpiritus ſedet: malorũ bonorumq́; noſtrorum obſervator & cuſtos: is quomodo à nobis tractatur, ita ipſe quoq; nos tractat: bonus verò vir ſine Deo nemo eſt.

JOACHIMI FRIDERICI
DUCIS BRIGENSIS.
G. W. V. E.

SERMO DEI MANET haud ullo mutabilis ÆVO:
Cætera prætereunt: ſed manet una fides.

QUemadmodum DEUS æternus & immutabilis eſt: ita verbum Dei æternum & nunquam mutabile permanet: teſte Eſaia cap. 40. ex quo ſymbolum hoc deſumtum eſt. Nam & Chriſtus in Evangelio Luc. c. 21. *Cœlum* (inquit) *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* ſignificans, etiam omnibus aliis rebus commotis atque commutatis, fidem ſanctam & fidelium Eccleſiã, quæ Chriſti verbo regitur, minimè defecturam: auctore Theodoreto. Quomodo & Gregorius in Homiliis eum locum interpretatus: *Omne* (inquit) *quod apud homines durabile eſt, ſine mutatione durabile ad æternitatem non eſt: & omne, quod apud Deum tranſire cernitur, fixum & ſine tranſitu tenetur: quia ſine mutabilitate manentes ſententias exprimit ſermo Dei, qui tranſit.*

JOANNIS GEORGI DUCIS BRIGENSIS.

V. S. W.

Vertraw / Schaw Wehme.

FIDE: ſed ut fidas rectè, CUI fidere tutum
(Quippe fides nuſquam tuta) ſit, ipſe VIDE.

SApienter Sophocles: *Prudente diffidentiâ*
Nil melius aut utilius eſt mortalibus.

Sic & Demoſthenes: Unum (inquit) commune animis hominum ineſt munimentum à naturâ: quod cùm omnibus cæteris bonum eſt atque ſalutare; tùm verò maximè plebi contra tyrannos. Quodnam verò eſt illud? Non facilè credere. Et Naſo:

Ne citò credideris: multùm citò credere lædit.

Nam eodem teſte Sophocle, ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ. Sed & tamen eſt

Par vitium, cunctis, & nulli credere velle:
Nam medium ſapiens inter utrumq; tenet.

FRIDERICI DUCIS LIGNICENSIS.

Gottes Will / mein Zil.

Quidquid vult Deus, *eſto ratum:* DIVINA VOLUNTAS
Regula ſit vitæ Metaq; *certa meæ.*

CAROLI DUCIS MONSTERBERGII.

DOMINUS PROTECTOR MEUS.

Cur trepidem? metuā quid & à quo deniq;? ſi tu
PROTECTOR MEUS *es* JOVA *ſalusq; mea.*

*

Quid vano trepidans cor mihi pectora
Pulſas tumultu? fortiter ah age!
PROTECTOR (en!) NOSTER benignus
Eſt DEUS, atque ſalus perennis.
Nos ſervat DOMINUS: protegit ille nos
Umbrâ ſalubri: portus & anchora,
PROTECTOR & SOTER JEHOVA
Ille MEUS fuit, eſt, eritque.

*

EJUSDEM.

Gedult in Unſchuld.

Magnū INNOCENTIÆ *decus* PATIENTIA?
Vacare culpâ maximum ſolatium:
Mens aqua condimentū ærumnæ eſt optimū.

FRIDERICI CASIMIRI DUCIS TESCHINENSIS.

Elend mein Gott wend.

Quæ me quæ mentē cruciant, mala cuncta poten-
Averte inq; bonū verte benigne Deus. (ter

HENRICI BURGGRAVII MISNENSIS.

NOLI ALTUM SAPERE.

Sis quamvis altus, SAPERE ALTUM pectore NOLI:
Nam ſapit ille parum, qui nimis alta ſapit.

POſito in altum, non altum ſapere difficile eſt, inquit Bernhardus. Nam, ſecundùm Auguſtinum, *Omnes delectat celſitudo: ſed ad eam humilitas gradus eſt.* Quin imò nihil eſt excelſius humilitate: quæ quaſi ſemper ſuperior, neſcit extolli: quia nemo affectat, quod infra ſe judicat, eodem auctore. Sed & nihil eſt æquè efficax, ut Bernhardo placet, ad gratiam vel promerendam, vel retinendam, vel recuperandam: quàm ſi omni tempore coram Deo inveniaris NON ALTUM SAPERE, ſed timere potiùs: ſicut ſcriptum eſt: *Beatus, qui ſemper eſt pavidus.* Tunc ergo cum acceſſerit gratia, time: cum abierit, time: cum denuò revertetur, time: nimirum hoc eſt ſemper pavidum eſſe, id eſt, ſervire Domino in timore, nec altum ſapere.

JOANNIS ERNESTI COMITIS HENNEBERGII.

Gottes Huld/ Mein Unſchuld.

Virtutis laus nulla mea, ſit gloria nulla:
Sit MEA ſit VIRTUS GRATIA ſola Dei.

PErfecta noſtra juſtitia ſemper imperfecta eſt, teſte Auguſtino: vel potiùs, ſecundùm Gregorium, *omnis humana juſtitia coram Deo eſt injuſtitia.* Sed hæc ipſa juſtitia, quæ perfecta eſt, in uno Chriſto eſt: qui ſolus eſt, ut Apoſtolus loquitur 1. Corinth. 1. & juſtitia, & ſanctitas, & ſalus noſtra: ex cujus gratiâ hominibus juſtitia imputatur, quæ fide accipitur: quâ & aufertur culpa, & confertur gratia. Etenim eodem teſte Auguſtino, *Gratia Dei, non poteſtate noſtrâ, in melius mutamur.* Si itaque gratiam ideo tibi dedit Deus, quia gratis dedit: gratis ama Deum, non ad præmium: ut ipſe ſit tuum præmium. Gratia ſiquidem eſt, quæ gratis datur: non meritis operantis, ſed miſeratione donantis. Si enim ullis meritis datur: jam non gratis donatur, ſed debita redditur; ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur: ubi merces, teſte Apoſtolo Rom. 4. non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Si autem, ut vera ſit gratia, id eſt gratuita, nihil invenit in homine, cui meritò debeatur: profectò ipſa dat merita, non meritis datur.

NICOLAI RADEVILÆ
DUCIS OLSNICENSIS.

PRÆMIO ET POENA.

Quæris, Rei quæ publicæ ſint anchoræ?
Si ſcire vis, duæ ſunt: POENA ET PRÆMIO,
Tanquam anchoris, fulta omnis eſt Reſpublica.

SOlon, qui & ſapiens unus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem, Rempublicã duabus rebus contineri dixit; PRÆMIO nimirum ET POENA. Nam ut præmia honoresque bonis, ita malis pœnæ ac ſupplicia parata eſſe debent: quod niſi hoc modo rectè fiat: id eſt, ſi boni à malis non diſcernantur: in eo Reipublicæ pernicies eſt certiſſima, teſte Antiſthene: quoniam civium bonitas ut ſtabilit Rempublicam: ita eorũm improbitas eam convellit. Sic & Corn. Tacitus: *Cruciatu aut præmio cuncta ſunt pervia.* Id verò utrumque ritè cum facit Magiſtratus, ut decet: facere judicium & juſtitiam dicitur; ut Salomon loquitur.

NICOLAI-CHRISTPHORI RADEVILÆ DUCIS LITHVANI.

INTUTA QUÆ INDECORA.

Quiſquis ſponte facit, quod eſt decorum,
Tutò, quod facit, hoc facit: ſed omne
INTUTUM *ſimul eſt,* QUOD INDECORUM.

CORn. Taciti hæc ſententia eſt: INTUTA QUÆ INDECORA. Cum quâ Auſonii illa congruit:

Nunquam diſcrepat utile à decoro.

Neq; enim, ubi turpitudo eſt, ibi utilitas aliqua eſſe poteſt: & ubi honeſtas non eſt, nec ibi tuta eſt fèlicitas. Quippe, auctore Tullio, *utilitas nulla eſt, repugnante honeſtate: eademq; eſt utilitatis, quæ honeſtatis, regula.* Quemadmodum enim nihil tam eſt ſecundùm naturam, quàm utilitas: ita nihil eſt tam contra naturam, quâm turpitudo. Itaq; ſemper honeſtate utilitas dirigenda eſt: ut monet M. Cicero Offic. 3.

ALEXANDRI DUCIS SLUCENSIS & COPALIENSIS.

FIDE ET AMICITIA.

(vitæ: Sancta FIDES ET AMICITIA, *hæc ſunt vincula*
Namq; hominē hæc homini jungit, at illa Deo.

EMANUELIS PHILIBERTI DUCIS SABAVDIÆ.

INFESTUS INFESTIS.

INFESTIS INFESTVS, & hoſtibus hoſtis; amicis,
Dum licet, & caris carus amicus ero.

PIctura eſt ELEPHAS gregem pecorum proboſcide à ſe amovens, ne aliquo caſu ea lædat. Ferunt enim hoc animal innocuo pecori, ſi fortè in id incidat in campo, naturæ quodam inſtinctu proprio parcere; & manſuetudinis hoc genere cum eo uti. Quo veluti ſymbolo quodam naturæ monemur; innocentibus parcendum eſſe; Siquidem hæ ſunt artes boni Principis, ut Maro canit,

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Sic & Seneca monet in Octaviâ:

Conſulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus; petitur hac cœlum viâ.

Et Hugo: Magna virtus eſt, ſi non lædas, à quo ſis læſus: magna gloria, ſi parcas, cui poſſis nocere:

Nobile vindictæ genus eſt, ignoſcere victo.

LUDOVICI GONZAGÆ DUCIS MANTUANI.

SIC QUIESCO.

PIctura, vitulus marinus in ſummis tempeſtatis fluctibus (quod ipſius naturæ proprium eſſe dicitur) ad ſcopulum dormiens, cum hac inſcriptione: Sic Quiesco. Quo ſignificatur, invidorum latratus contemnendos eſſe.

GUILHELMI RUPERTI A MARCA DUCIS BULLIONII.

ἀρετῆς τιμὴ ἀκήρατος.

Virtutis immortalis *eſt ut* Gloria:
Poſt fata ſic ſuperſtitat
Virtute partum nominis decus tui,
RUPERTE, Princeps inclyte.
Cœlum recludit virtus: ad ſuperos iter
Pandit ſecretum gloria.

MAURICII NASSOVII, PRINCIPIS AURENGIAE.

POST NUBILA PHOEBUS.

Perfer & obdura: Post nubila *lumine* Phoebus
Promicat: & pulsâ nocte ſerenat humũ.

JOANNIS COMITIS NASSOVII IN CATTIMELIBOGO.

PLUS TOT MOVROYR.

Malo MORI POTIUS, *quàm vivere turpiter ho-*
Mors bona ſic vitæ eſt anteferenda mala. (*ſti:*

PUlcrè Sophocles in Antigona : ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή. Neque enim poteſt malè mori, qui benè vixerit: ſicut vix bene moritur, qui malè vixit, teſte Auguſtino. Et licet mors per ſe ipſa non eſt glorioſa: fortiter tamen mori, glorioſum eſt, ait Seneca : adeoq́; , ſecundùm Æſchylum, βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος.

ALBERTI COMITIS NASSOVII.

Alles nach Gottes Willen.

QUOD VULT, *fiat id* OMNE, DEUS: *divina volun-*
Sit rata perpetuò, perpetuoq́; bona. (*tas*

CUm ſe voluntas relictoDeo ſuperiore ad inferiora humana convertit: mala continuò efficitur: non quia malum eſt, quò ſe convertit: ſed quia perverſa eſt ipſa converſio: auctoreAuguſtino. Satius eſt igitur, omnia Dei voluntati committere, & in eâ cum ſpe & fiduciâ bonâ adquieſcere.

LUDOVICI COMITIS NASSOVII.

PATIENCE AUDE INNOCENCE.

Securitas veriſſima, innocentia:
At INNOCENTIÆ DECVS PATIENTIA.

IN malis ſperare bonum, niſi innocens, nemo ſolet: ait Publius. Nam ſecundùm Hieronymum, innocens inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ bono: & inter malignitates, cum de pœna metuit, de innocentiâ gloriatur.

GUILHELMI COMITIS NASSOVII.

Rathen vnd Reithen thuts.

CONSILIO *pariter prodeſſe* MANUq;, *fatebor,*
Eſt aliquid: laus hæc digna favore manet.

MEnandri ſententia eſt apud Stobæum de bono Rege & Principe:

καλὸν γε βασιλεὺς, τῇ μὲν ἀνδρείᾳ κρατῶν, τὰ δὲ τοῦ βίου δίκαια διατηρῶν κρίσει.

Qualis ab Homero Agamemnon depingitur

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Nulli enim magis convenit, quam Principi, ſalutem Reipublicæ tueri: ut graviter Auguſtinus cenſuit: quam ad rem opus eſt, domi quidem concordiâ; foris virtute & fortitudine: utrobiq; conſilio & prudentiâ: teſte Polybio.

PHILIPPI COMITIS NASSOVII & SARÆPONTANI.

VIRESCIT VULNERE VIRTUS.

Ilex ceu ramoſa, VIRESCIT VULNERE VIRTUS:
Plus, virtus duris cognita, laudis habet,

FUriani verſus apud Gellium eſt: *Increſcunt animi,* VIRESCIT VULNERE VIRTUS. Etenim, ſecundùm Naſonem, creſcit in adverſis virtus: adeoque, ut Flaccus ait,

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴ τι πονηθῇ: ut eſt apud Pindarum.

JOANNIS LUDOVICI COMITIS NASSOVII.

Herr dein Wille geſchehe.

FIAT & ô placeat ſemper TVA ſancta VOLVNTAS,

Sancte DEVS: cœlũ pareat huic & humus.

PRopria voluntas, quæ non eſt cõmunis cum Deo & hominibus, neque ad honorem Dei, aut hominum utilitatem directa; grande malum eſt: quippe cui contraria eſt caritas, quæ Deus eſt: imò quæ crudelis eſt in ipſum Deum: quem dum vult peccata ſua vindicare aut non poſſe, aut nolle, aut certè neſcire, Deum eſſe non vult: quia eum aut impotentem, aut injuſtum aut inſipientem, eſſe vult: quæ crudelis & planè execranda eſt malitia. Potiùs igitur Dei, quàm ſua cujuſq; ut fiat voluntas, aſſiduè orandum eſt: teſte Bernhardo.

GUNTHERI COMITIS
SCHVARZEBURGII.
UMBRA NON CEDIT SOLI.

VMBRA NON CEDIT fugitiva SOLI:
Aſſecla eſt virtutis Honos, & ultrò
Laus adeſt & Gloria ſempiterna.

GLoria virtutem tanquam umbra corpus ſequitur, auctore Tullio: & ſecundùm Claudianum,

Virtutem invitam blandè veſtigat, & ultrò
Ambit Honor. πιςὸν γὰρ κῦδ@- ἔχει ἀρετά, teſte Bacchylide: &, ut Lucian[9] habet, τὸ τῆς ἀρετῆς πανταχȣ̃ τίμιον. Nam ut umbra nos vel invitos comitatur: ita gloria virtutem ſequitur, etiam fugientem. Sed quemadmodũ aliquando umbra antecedit, aliquando ſequitur, vel à tergo eſt: ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendamq; ſe præbet: aliquando in averſo eſt: majorq;, quò ſerior, ubi invidia ſeceſſit: auctore Seneca.

ALBERTI COMITIS SCHVARZEBURGII.

NIL ALTUM, QUOD NON PLACIDUM.

NIL ALTVM, QVOD NON PLACIDVM: nil cogitat alti
Dedita mens vitiis criminibusq́; malis.

SEnecæ hoc dictum eſt: NIL ALTUM, QUOD NON PLACIDUM. ἀκέσαι δέ φρένες ἐσθλῶν, ſecundùm Homerum: verumq́; eſt Naſonis illud,

Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ:
Et faciles motus mens generoſa capit.

Sic & Comicus: Re ipſa (inquit) reperi; Facilitate nihil homini eſſe melius, neque clementiâ. ἀνδράσι γὰρ πινυτοῖσι, πέλει νόος ἤπιος αἰεί: ut eſt apud Q. Calabrum lib. 4.

JOAN. HENRICI, COMITIS SCHVARZEBURGII.

IPSA SIBI PRECIUM VIRTUS.

IPSA SIBI PRECIVM VIRTVS
perſolvit: inane
Quid niſi, pro meritis gratia, nomen habet?

Commune patriæ bonum eſt virtus: quæ ipſa ſibi præmium eſt optimum, & merces pulcerrima: quâ qui contentus non eſt, ut gratis prodeſſe nolit quàm plurimis: virtutis laude minimè is condecorandus eſſe videtur. Etenim ſecundùm Naſonem,

Mercede caret, per ſeque petenda eſt
Externis virtus incomitata bonis.

In quam ſententiam Stigelius quoque ſcribit hoc modo:

Rebus in humanis jus hoc à moribus ortũ eſt:
Gratia pro meriti munere rara redit.
Ipſa ſibi precium eſt & merces propria virtus:
Officium ex ſolâ quæ pietate facit.

Enimverò, ſecundùm Nonium, plus mereri debet, in quo virtus eſt. τιμὰ δ' ἀγαθοῖσιν ἀντίκεται. Boni autem, ut Comicus habet, ſibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem, gloriam & gratiam: hoc probis precium eſt. Ex quo rectè Horatius in Epiſt.

— *aut virtus nomen inane eſt,*
Aut decus & preciũ rectè petit experiens vir.

PHILIPPI COMITIS HANOVII & LICHTEBERGII.

Gott hats gewölt.

Sic viſum eſt ſuperis, & q volucre peractũ eſt:
Nam q vult, facile eſt id quoq; poſſe Deum.

NIl agimus, niſi ſponte Dei, inquit Lucanus. Et Naſo:

— *Immenſa eſt, finemq; potentia cœli*
Non habet, & quidquid ſuperi voluere, peractum eſt.

γλυκύ δὲ ἀνθρώπων τέλος, ἀρχά τε δαίμονος ὄρνυντος, ἄυξεται, auctore Pindaro.

JOAN. REINHARDI COMITIS HANOVII.

DEO DUCE, VIRTUTE COMITE.

Sit Dux *cuiq;* DEUS, VIRTUS COMES *ipſa labo-*
Sic, quodcunq; facis, jam bene cedit opus. (ris:

MOnet hoc ſymbolũ homini & piè & honeſtè vivendũ eſſe: ut & fidem habeat purã apud Deũ, & bonam apud homines conſcientiam: ſecundùm Pauli regulam 1. Tim. 4. *Milita bonam militiam, retinendo fidem & bonam conſcientiam.* Nam &, Euripide teſte, Deo & juſtitiâ adjuvante, benè cedunt omnia. Sic enim ait:

εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
κρατεῖ, τὸ θεῖον, τήν δίκην τε συλλαβών.

PHILIPPI LUDOVICI COMITIS HANOVII & REINECCÆ.

FESTINA LENTE.

Ne propera nimium: mora prudens ſæpe lucroſa
FESTINA LENTE: *ne malè cedat opus.* (*eſt:*

OCTavii Cæſaris Auguſti ſymbolum eſt, Σπεῦδε βραδέως: cui reſpondet alterum illud Titi Cæſaris, MATURA: utrumque improvidã coarguens feſtinationem. Sic Theognis: μηδὲν ἄγαν σπεύδειν. Et Naſò:

Differ: habent parvæ cõmoda magna moræ.

Et notum eſt Publianum illud: *Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam:* ne ſcilicet quid agamus temerè aut incõnſultò. Feſtinationis enim imprudentis comites ſunt error & pœnitentia: nec quidquam pugnat magis cum recto judicio, quàm celeritas & ira: auctore Herodoto.

NICOLAI COMITIS SALMÆ ET NEOBURGI ad Oenum.

Spero, dũ ſpiro: SPES *eſt* MEA CHRISTUS: *is*
Quæ ſperare dedit, præmia ferre dabit. (*unus*

JULII COMITIS SALMÆ & NEOBURGI ad Oenum.

CUPIO DISSOLVI, ET ESSE CUM CHRISTO.

DISSOLVI CUPIO *vitæ pertæſus*, ET ESSE
Cūm CHRISTO: *Chriſto dulce vocāte mori.*

Qui pius eſt, vivitq́; pius, moriturq́; beatus:
Adque Deum, ſceleris purus, anhelat iter:
Per ſomnum Deus huic fert oſcula blanda: piorū
Nimirūm dulcis mors ſolet eſſe ſopor.
Nā quos Chriſtus amat, ſibi jungit carne ſolutos:
Et rapit ad vitæ gaudia longa novæ.
O dulcis requies! ô baſia dulcia, cœlo
Proxima! felices, qui meruere frui.

EJUSDEM.
AMA ET TIME.

Sic & AMA, ut timeas: ut ames ſic ipſe, TIMEq́;:
Virgineâ faciè quod notat iſte LEO.

QUi DEum benè timet, & amat: qui benè amat, & timet: res illæ in cœleſti devotione ſociatæ ſunt, inquit Caſſiodorus. Cum ergo audis, quòd Dominus tuus dulcis eſt, attende quid ames: cū audis, quòd rectus eſt, attende quid timeas: ut amore & timore Dei excitatus, legem ejus cuſtodias: eodem auctore Caſſiodoro.

MAXIMILIANI COMITIS SALMÆ & NEOBURGI.

SPERANDO.

J. E. D. G.

Ich erwarte des Glücks.

Dum vivis, ſperare licet: ſperare ſed æqua
Et bona: SPERANDO *cura dolorq́; fugit.*

JOANNIS COMITIS SALMENSIS MARESCHALLI LOTHARINGIÆ.

VIRTUTIS COMES INVIDIA.

Infelix, quem nemo odit: pulcerrima virtus
Invidiam comitem ſemper in orbe trahit.

M. Tullius Cicero ad Herennium: VIRTUTIS (inquit) COMES INVIDIA plerumq; bonos inſectatur. ἄπλετοι δ' ἐσλῶν αἰεὶ φθόνος, χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει: ait Pindarus. Enimverò *ſemper ſibi eſt inimica invidia: quoniam qui invidet, ſibi quidem ignominiam facit: illi autem, cui invidet, gloriam parit,* teſte Chryſoſtomo. Itaque nunquam meliùs torquebis invidos, quàm virtuti & gloriæ ſerviendo, auctore Seneca. Notum eſt enim Poëtæ illud:

ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει:

Invidia ipſa ſuis ſe telis conficit ipſam.

WERNERI COMITIS SALMÆ
ET RIFFERSCIDII.
NEMO SINE CRIMINE VIVIT.

NEMO hominũ VIVIT SINE CRIMINE: crimen ab uno
Et ſecum mortem quiſque parente trahit.

REctè Poëta Flaccus: *Vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt, Qui minimis urgetur.* Et Simonides:

πάμπαν δ' ἄμωμ⊙ οὔτις, οὔτ' ἀκήρι⊙:
Nec ullus expers criminis, nec mortis eſt.

Plerunque tamen ſua quiſque pervidet, ut idem loquitur Flaccus, oculis mala lippus inunctis: inquirens in aliena vitia magis, & in his tam cernens acutùm; quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius: Lib. 1. ſerm. 3. Bene itaque Cato Romanus:

Si vitam inſpicias hominum, ſi deniq́; mores:
Cum culpent alios, NEMO SINE CRIMINE VIVIT.

OTHONIS RHEINGRAVII
COM. SALMÆ & VINSTINGÆ.
TOVT PAR MOYEN.

PER MEDIUM *facit omne Deus, naturaq; ſolers:*
Per medium virtus ſic amat ipſa coli.

Πάντα μέσοισιν ἄριστα: μέσος θέλε ἐν πόλει εἶναι, ait Pythagoras. Et Flaccus Poëta in Arte: Hoc tibi dictum Tolle memor, certis medium & tolerabile rebus Rectè concedi.

Major enim mediis gratia rebus ineſt,
teſte Cornelio Gallo: &, ut Martialis canit,
Illud quod medium eſt, atq; inter utrumq;, probatur.

ALBERTI RHEINGRAVII
COMITIS SALMÆ.
JE ME CONTENTE.

Quod Deus & Sors dat, contentus vivo beatus
Illo: nec cupio nec magis opto mihi.

QUidquid eſt domi, id ſat eſt habendum, inquit Plautus in Rudente. τὰ δ᾽ ἀρκοῦντ᾽ ἱκανὰ τοῖς γε σώφροσιν, teſte Euripide. ἴση γὰρ ἡ χάρις μεγάλοισι χαίρειν, σμικρὰ θ᾽ ἡδέως ἔχειν, eodem auctore. Rectè igitur Martialis:

Quod ſis eſſe velis, nihilque malis.

Et Accius: Satis eſt, quem cuiq; tribuit fortuna ordinem.

GODFRIDI COMITIS OETINGENSIS.

Lieb iſt Leides Anfang.

Gaudia principium noſtri ſunt ſæpe doloris:
Cauſa ſecuturi prima doloris amor.

NUlla gaudia ſunt ſolida; & ut apud Poëtam legitur, extrema gaudii luctus occupat. Quod & Naſo teſtatur:

Gaudia principium noſtri ſunt ſæpe doloris.

Maximè verò, eodem teſte Poëta,

Res eſt ſoliciti plena timoris amor:

verumque eſt, quod ille dixit; Amor otioſo cauſa ſolicitudinis. *Vſque adeo nulla eſt ſincera voluptas: Sollicitumque aliquid lætis intervenit:* ut eſt apud eundem Naſonem.

LUDOVICI COMITIS OETINGENSIS.

INTER SPEM ET METUM.

Vita quid eſt? Spes & Metus. INTER SPEMQ;
Occidit hic omnis nẽpe reditq; dies. (METŨQ;

INter ſpem & metũ omnis hæret vita mortaliũ. Nã ut metus mali, ita ſpes boni exſpectatio eſt. Sic nimirum bene ſperando, & malè habendo vita tranſit mortaliũ. De quo ſymbolũ hoc extat apud Horatiũ. INTER SPEMQ; METUMQ;, *& curas inter & iras Omne crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

WIDEPERTI COMITIS OETINGENSIS.

AMAT VICTORIA CURAM.

Nil temerè, aut aliter: ſed AMAT VICTORIA CVRAM.
Grata minus, ſi cui cura laborquе deeſt.

LÆtius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum: ait Lucanus. τοὺς πόνους γὰρ οἱ ἀγαθοὶ τολμῶσι, δειλοὶ δ' εἰσὶν οὐδὲν οὐδαμοῦ, auctore Euripide. Sed &, ſecundùm Naſonem,

Ardua ſolicitis victoria quæritur armis:

&, ut Pindarus ait, εἰ πόνος ἦν, τὸ περπνὸν πλέον πεδέρχεται. Nunquam enim periculum ſine periculo vincitur, teſte Publio.

PHILIPPI COMITIS OETINGENSIS.

VIVITUR INGENIO.

VIVITUR INGENIO: *ſunt cætera mortis. Vt ergo*
Vivas, ingenio vivere diſce tuo.

ERNESTI COMITIS
MANSFELDENSIS.

Chriſti Blut / Mein Erbaut.

Sangvine, CHRISTE, *tuo mihi parta eſt regia cœli:*
Mundor, vivificor ſangvine, CHRISTE, *tuo.*

EJUSDEM.

Gottes Wort Mein Hort.

PRÆSIDIUM *Deus eſto* MEUM *tuus optime* SERMO:
Sermo tuus, Deus, eſt portus & ara piis.

EJUSDEM.

FORTUNA ROTUNDA.

Quod dat, mox FORTUNA *rapit transfertquе* ROTUNDA:
Et res humanas ſic ſine fine rotat.

OTHONIS COMITIS
MANSFELDII.

Schlecht vnd Gerecht.

SIMPLICITAS *rectiq; decus, mea cura, meũ cor:*
Perpetuò rectâ me juvat ire viâ.

*

Integritas ſimplexq; fides, cuſtodia vitæ
Optima: nil fraus huic visq; dolusq; nocet.

FRIDERICI CHRISTOPHORI COMITIS MANSFELDII.

PATIENTIA CUM INNOCENTIA.

Magna quidẽ per ſe morũ PATIENTIA *virtus:*
Major fit illa ſanctâ CUM INNOCENTIA.

PUlcrè Chryſoſtomus: Gaude (inquit) de innocentia, & exulta: gaude inquam, quia ubique proficis: ſi humiliaris, erigeris: ſi pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris. O magna vis innocentiæ! Tu in ſervitute libera es, in periculo tuta: in cuſtodiâ læta: tibi omnis reatus adjicitur: tibi univerſa militia ſubjugatur: te potentes honorant: ſuſcipiunt Principes: magnates exquirunt: imò te deſiderant non nunquam hi, qui impugnãt. Tibi boni parent, mali invident, favent æmuli, inimici ſuccumbunt: nec unquam poteris victrix non eſſe, etiamſi inter homines judex juſtus defuerit.

ALBERTI COMITIS HOLSATIÆ & SCHAVMBURGI.

ALIA EX ALIIS.

Qui præeſt, ALIA EX ALIIS *hunc cura fatigat:*
Regia ſic nunquam vita labore vacat.

SPlendida miſeria eſt regnū: multū malorū frōnte quod blandâ tegit: ut eſt apud Senecam in Oedipo. Ex quo idē in Agamemnone ſic exclamat: O regnorum magnis fallax fortuna bonis in præcipiti dubioque nimis excelſa locas. Nunquam placidam ſceptra quietem, certumve ſui tenuere diem: ALIA EX ALIIS cura fatigat, vexatq; animos nova tempeſtas.

ANTHONII COMITIS OLDEMBURGII.

COGNOSCE TEIPSUM.

Prima hominis virtus eſt, & ſapientia prima
Noſſe Deum: SEIPSUM *proxima* NOSSE *bene.*

TUrpe eſt, aliis notū eſſe, ignotum ſibi. Nam & pravitatis cauſa eſt maxima, ſuiipſius ignoratio, teſte Lactantio. Itaque, ſecundùm Satyricum,

— è cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore.

Quippe in quo omnes ſapientiæ nervos eſſe conſtat, primus enim ſapientiæ gradus à veteribus celebratiſſimus eſt, SEIPSUM NOSSE: ultimus, NOSSE DEUM: ut rectè pieque monuerunt quidam Philoſophi Chriſtiani.

JOANNIS GEORGII COMITIS SOLMENSIS.

INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI.

Vivendi rectè fons & ſapientia prima eſt
Simplice numen mente timere.
Qui facit hoc, verè ſapit: hunc ventura nepotũ
Semper dicent ſecla beatum.

PUlcrè Gregorius: Noveris te, ut DEUM timeas: uoveris Deum, ut æquè ipſum diligas. In altero initiaris ad ſapientiam: in altero conſummaris: quoniam initium ſalutis, timor Domini: & plenitudo legis eſt caritas. Et Bernhardus: Quemadmodum ex notitiâ tui venit in te timor Dei: atque ex Deo notitiâ, Dei itidem amor: ſic è contrario de ignorantiâ tui ſuperbia, & de ignorantiâ Dei venit deſperatio.

PHILIPPI GEORGII COMITIS SOLMENSIS.

A. B. C. D. E. F.
Allein bey Chriſto die ewige Frewd.
Vivo tibi, moriarq; tibi dulciſſime CHRISTE:
TE PENES ÆTERNÙM GAUDIA *læta vigẽt.*

PHILIPPI COMITIS SOLMENSIS.

DEUM REVERERE TIMEQUE.

Vt rectè ſapias, Dominum Reverere Timeque:
Sancta Deo pietas nempe fideſquè placet.

PLautus in Pſeudolo: Deos (inquit) maximè æquum eſt metuere. Et Theognis: θεὺς αἰδȣ̃ καὶ δείδιθι. Qui enim timet Deum, nihil negligit: ſiquidem *timere Deum eſt, nulla, quæ facienda ſunt, bona prætermittere*, auctore Gregorio.

ERNESTI COM. SOLMENSIS.

Gott hats beſchert.

Ipſe Deus Deus *ipſe* dedit*: majora petitis*
Quis dubitet magnum ſæpe dediſſe Deum?

Εἷς θεὸς, πολλοὶ φίλοι, ut eſt in Proverbio. Et apud Homerum θεοὶ δωτῆρες ἐάων vocantur. Neque enim illa bona, ſecundùm Pindarum, ἀνδράσι κεῖται, δαίμων δ᾽ ἐπαρίσχει. Quemadmodum autem nullum momentum eſt, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & miſericordiâ: ſic nullum debet eſſe momentum, quo Deum præſentem non habeat in memoriâ. Omne ergo tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidiſſe: ut ait Hugo.

EBERHARDI COMITIS SOLMENSIS.

VOLENTE DEO VOLO.

Velle ſuum cuique eſt; & quod vult, hoc amat ipſe:
Quod volo, id omne Deo nempe VOLENTE VOLO.

QUod volumus, ſanctum eſt: ut eſt in Auguſti epiſtola quadam. Sancta autem voluntas Dei potius, quàm hominis eſt: cui non repugnare, longè ſanctiſſimum eſt. Nam &, ſecundùm Poëtam, *ratio fatum vincere nulla valet.* Fatum autem quid eſt aliud, quàm voluntas divina: Δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι. θνητὸς γὰρ ἔφυς κἂν μὴ σὺ θέλῃς, τὰ θεῶν οὕτω βουλομένων ἔσται: ait Euripides.

HERMANNI ADOLPHI
COMITIS SOLMENSIS.
SINE FRAUDE.
H. D. D. L.

Mortua res candor: fraus celſâ regnat in aulâ:
Me juvat at conſtans, & SINE FRAU-DE FIDES.

CAndor in hoc ævo res intermortua pœnè: ait Naſo, & ut idem alibi canit,

Tuta frequensque via eſt, per amici fallere nomen:
Tuta frequensq; licet ſit via, crimen habet.

Nam, ſecundùm Publium, Bonitatis verba imitari, major malitia eſt. Placeat ergo Symbolum hoc: SINE FRAUDE DOLOQUE: quod Græcis eſt, ἄνευ δόλȣ καὶ ἀπάτης: bonæ fidei formula in omnib⁹ negotiis, clauſulæ loco, apponi ſolita.

JOANNIS ALBERTI COMITIS SOLMENSIS.

ΠΑΛΑΙΑ ΕΥΔΕΙ ΧΑΡΙΣ.

Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt.
GRATIA, *ſi neſcis,* DORMIT *& ipſa* VETUS.

PIndari vox eſt, *παλαῖα ἕυδει χάρις, ἀμνάμονες δέ βροτοὶ.* Dormire dicit gratiam; quam Menander dixit conſeneſcere: cum ait: *μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις.* Sed & idem aliâs planè interiiſſe gratiam affirmat: *ἄμ' ἠλέηται, καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις.* Et Homerus: *ὡς οὐκ ἐστί χάρις μετόπισθ' ἐυεργεών.* nam, ut ait Tullius, cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit. Ex quo Catullus:

Deſine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare pium.
Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt:
Imò etiam tædet, tædet obeſtq; magis.

EBERHARDI COMITIS SOLMENSIS.

MALO BONUM COMPENSARE NEFAS.

Pro meritis ſi nulla redit tibi gratia, nil eſt:
Si mala non pariter gratia juncta redit.

SÆpiùs, quàm par eſt, malo bonum penſatur: quod Agamemnoni accidit: de quo eſt in proverbio apud Suidam:

ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα πῖσαν Ἀχαιοί.

Et ſanè moleſtiſſimum hoc eſſe Pindarus affirmat, καλὰ γινώσκοντ' ἀνάγκα ἐκτὸς ἔχειν πόδα, id eſt, eum, qui benè meritus ſit de aliis, non frui bonis, ſed pro benefactis malè audire. Sed hoc tamen mundo vitium familiare eſt; pro ſummo beneficio ſummum remetiri maleficium. Imò eò productus eſt furor: ut periculoſiſſima res ſit, beneficia in aliquem magna conferre. Nam quia putat quiſque turpe non reddere, non vult eſſe eum, cui reddat: auctore Seneca.

GEORGII EBERHARDI COMITIS SOLMENSIS.

Difficilis pugna eſt cũ Principe: cedere præſtat,
Et bene metiri ſe pede quemque ſuo.

SApienter ille apud Homerum: ἀνδράσι προτέροισιν ἐρίζειν οὐκ ἐθελήσω. Et Pindarus: χαλεπὰ (inquit) ἔρις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν κρεσσόνων. Nam eodem auctore Pindaro, χρὴ, καθ' αὑτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.

FRIDERICI COMITIS SOLMENSIS.

FIDO CHRISTO SALVATORI.
SOTERI CHRISTO CONFIDO ſemper ubique:
Fidentem neſcit deſeruiſſe Deus.

ALBERTI OTHONIS COMITIS SOLMENSIS.

AUXILIUM MEUM A DOMINO.
Gott mein Hort / Hie vnd dort.
A DOMINO *ſpero* AUXILIUM, *qui cuncta gubernat:*
PRÆSIDIUM DEUS *hic nempe & ubiq;* MEUM.

LUDOVICI COMITIS SENÆI & WITGENSTENII.

SIMULATUM NIHIL DIUTURNUM.

Quod verum eſt, ſtabile eſt: SIMVLATVM NIL DIVTVRNVM.

Turpe ſub aſpectu ſic latet omne malum.

PRæclarè Socrates hanc viā ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat eſſe: ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi quis ſimulatione & inani oſtentatione, ficto non modò ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe retur: vehementer errat. Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt: NEC SIMULATUM quidquam poteſt eſſe DIUTURNUM: auctore Tullio in Officiis. Sic Publius: Citò ad naturam ficta redierint ſuam. Et Sophocles:

οὐδὲν μὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου.

GEORGII COMITIS SENÆI ET WITGENSTENII.

VIRTUTE DECET, NON SANGVINE NITI.

SI VIRTUTE *decet niti*, NON SANGVINE: *fruſtrà*
Jactando, ſtudeas nobilis eſſe, genus.

CLaudiani eſt hemiſtichium: VIRTUTE DECET, NON SANGVINE, NITI. Nam, ut Satyricus canit,

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔφυ ἀνήρ:
ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Quin enim, eodem teſte Satyrico,

— generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis?

Quin imò, ſecundùm Lucanum,

— perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſolâ.

*

Si te non generis laus: ſed virtutis, honeſtet:
Cœlitus emerito laurea digna datur.

GEORGII à SENA, COMITIS WITGENSTENII.

Mit Gott vnd Ehren.

NUMEN *prima mihi ſit cura, ſit altera* NOMEN:
Sit dux ipſe DEUS, *ſit comes alter* HONOS.

Πρῶτα θεὸν τίμα, ait Phocylides: &, ut Pindarus canit, Σέβεϲ τὰ πρὸς θεόν: ὥστ' ἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πλὴν Ζεύς. Sic nimirum prima Dei cura eſſe debet, ut piè ſanctèque colatur: altera verò cura eſſe debet honeſtatis, ut cũ virtute & gloriâ vivatur. Nam, ſecundùm Publium, *Honeſtus rumor, alterum eſt patrimonium:* verumq; eſt Plautinũ illud: *Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives.* Imò, ut Senarius habet,

καλῶς ἀκούειν μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν θέλε.

Ex quo & Siracid. in Eccleſiaſtico c. 41. *Bonum nomen mille præſtat theſauris.* Et Salomon proverb. 22. *Melius eſt bonũ nomen, quàm divitiarum copia: & bona gratia, quàm aurum atq; argentum.*

WEIRICHII à Dhuyn, COMITIS FALCOSTENII.

EN DIOU SOUL MOU ESPOYR.

IN DOMINO SPEM *pono meæ, dum vivo, ſalutis:*
Namq; Deo ſoli fidere, certa ſalus.

QUidquid agendum (inquit Bernhardus) quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum: tu es Domine ſpes mea. Hæc una mihi omnium promiſſionum cauſa: hæc tota ratio meæ exſpectationis. Prætendat alter meritum: ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus: jejunare ſe bis in Sabbato dicat: poſtremo non eſſe ſe, ſicut cæteros homines, glorietur: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem meam & fiduciam.

WOLFGANGI à Dhuyn COMITIS FALCOSTENII.

Bewahr Mich HErr.

G. G. G. G. G. G. G.

SERVA ME, *mea certa ſalus, Deus optime ſerva:*
Servatus ſervam do tibi ſponte manum.

SAlus omnis à Deo eſt: à quâ & Soteris & Servatoris nomen ſolus habet: cui σῶςρον ab homine referri nullum poteſt acceptius, quam mens pia & ſancta, κλεινὸς δ᾽ ὁ πόνος θεοῖσι δούλαν χέρ᾽ ἔχειν, οὐ θνατοῖς, ἀλλ᾽ ἀθανάτοις, εὐφάμοις πόνοις μοχθεῖν, ait Euripides in Jone.

SEBASTIANI à Dhuyn, COMITIS FALCOSTENII.

ESPOYR ME CONFORT.

SPES bona DAT VIRES: animũ quoq; ſpes bona firmat:
Spes vitam pulſà credula morte fovet.

FOrtuna innocentem deſerit ſæpe, at bona ſpes nunquam, ait Seneca. Nam, ſecundùm Theognidem,

ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι.

Sic nimirum, ut Tibullus canit, *credula vitã Spes fovet; & melius cras fore, ſemper ait.*

χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδ' ἀνδρὶ μέλειν, ut vult Pindarus. De quo etiam Menander monet:

ὅταν τι πράττεις ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
πρόβαλλ' ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων, ὅτι
τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει.

CHRISTOPHORI COMITIS SULZENSIS.

Gott gib Gnad.

Magna Deus bonitas tua, magna eſt gratia: cælo
Miſſam hanc tu nobis da quoq; magne Deus.

HERMANNI COMITIS MANDERSCIDII.

Ach Gott begnade.

Ah miserere Deus, *miſerere: datâq; ſalute*
Fac potiar meritis hîc & ubique tuis.

HERMANNI ADOLPHI COMITIS MANDERSCHIDII.

COR MUNDUM CREA IN ME DEUS.

Cor Mundum *purũq;* crea mihi *crimine: re-*
Spiritus hoc renovet cor recreetq;, Deus. (*Ctus*

JOANNIS GERHARDI COMITIS MANDERSCHIDII.

Wann Gott wil.

Quando vult Deus, *ipſe volo: mea nempe*
Eſto voluntati dedita tota Dei (*voluntas*

ARNOLDI COMITIS MANDERSCHIDII.

ALIENO SAPERE PERICULO OPTIMUM.

Periculo quidem ſuo ſapere eſt bonum:
Periculo *aſt* alieno sapere *eſt*
optimum.

JOANNIS PHILIPPI COMITIS MANDERSCHIDII.

AFFECTUM RATIO TEMPERET.

Magnum animi frenum eſt ratio: res bruta, voluntas:
TEMPERET *hāc* RATIO:*tūc ſapit ipſa magis.*

SYmbolo huic non abſimile eſt Platonis illud: *Appetitus ſubſit rationi, ut equus ſeſſori.* Quibus verbis tota Philoſophia continetur. Qui enim rationi paret: in rebus civilibus non facilè errat, aut peccat. Ratio enim nil niſi prudens, juſtum, forte, temperans præſcribit: unde omnia officia, laus, decus, honos, gloria promanant. Appetitus contrà temeritatis, libidinis, iracundiæ, injuriæ, ignaviæ vel auctor vel miniſter eſt. Cui ne pareamus: virtus omnis in conſpectu nobis habenda eſt, & ad hanc cupiditas omnis veluti ad Lydium lapidem exigenda atq; moderanda. Quod qui non faciunt: ſed, ut quæq; libido animum invaſerit, ſtatim velut cæci ad explendā cupiditatē in turpitudinis barathrum ruunt: hi jus atq; ordinē naturæ violant: oblitiq; excellentiæ ſuæ, degenerāt in beſtias: imò eaſdem fœditate & imanitate longè ſuperant: quod non minùs verè quàm eleganter docet Plutarchus in Gryllo.

ENNONIS COMITIS FRISIÆ ORIENTALIS.

IN DEO SPERABO.

Non metuã: quid homo faciat mihi ſit licet hoſtis
Efferus? In Domino Spes mea *firma* Deo.

EZARDI COMITIS FRISIÆ ORIENTALIS.

IN DEO SPES.

IN DEO SPES eſt mea tota ſolo:
Qui ſalus eſt & mea fortitudo,
Portus, arx, turris, clypeus ſalutis,
Vnicum vitæ columen beatæ.

GUSTAVI COMITIS OSTROFRISII.

FESTINANDUM, SED LENTE.

Festina, lente *tamen: eripit utile tempus,*
Ceu mora, conſilium ſic properare nimis.

UTraq; detrimentoſa eſt, & cunctatio ſocors, & imprudens feſtinatio. Nam ut nimia cunctatio occaſionem eripit: ita feſtinatio conſilium. Ergo Festinandum eſt quidem: Sed lente: quē admodū Auguſtus Cæſar monuit hoc ſymbolo ſuo: Σπεῦδε βραδέως. Et Theognis: (ς΄
μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· καιρὸς δ᾽ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος
ἔργμασιν ἀνθρώπων, πολλάκι δ᾽ εἰς ἀρετὴν.

JOANNIS COMITIS
OSTROFRISII.
LITERIS ET ARMIS.

Cur haſtà & galea decora Pallas
Artium eſt dea? LITERIS ET ARMIS
Semper gloria vera comparatur.

LIteris & armis vera adquiritur gloria. Pictura hoc Minervæ docet: quæ artium omnium & belli Dea, ex cerebro Jovis armata proſilijſſe fingitur. Nam ſine ſapientiâ rectè & laudabiliter exerceri neutra ars poteſt, tam belli, quàm pacis: in utrâq; autem excellere, aut ſaltem in alterutrâ præſtare, ſemper glorioſum fuit habitum.

PHILIPPI COMITIS
LIPPIANI.
DEUM VERERE.

Si formidine vis ab omni
Liber eſſe? DEUM VERERE.

PUlcrè Auguſtinus: *Timor Dei præſens, ſecuritatē generat ſempiternam. Time Deum, qui ſuper omnes eſt: & hominem non formidabis.* Et Gregorius: In viâ Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinē veniatur. Nā ſicut in viâ ſeculi audacia fortitudinē; ita in viâ Dei audacia debilitatē, & timor fortitudinē gignit.

GUNTHERI COMITIS WALDECCII.

G. W. Z. W.

Sit bonus, In*q́ue* BONUM VERTAT, *quodcunq́ malignum eſt,*
Ille boni ſolus fons & origo, DEUS.

NOn eſt malum in civitate, quod non eſt à Domino: inquit Amos c 3. & Jeremias Propheta c. 4. Malum ſcilicet intelligens pœnæ, non culpæ: quod pariter immittit Deus bonis & malis: illis quidem, ut eos caſtiget & probet: his verò, ut eos puniat & condemnet, niſi reſipiſcant. *Bonis* ſiquidem *omnia cedunt in bonum*, ſecundùm Apoſtolum Rom. 8. Ita nimirum in DEO, ut Heſiodus canit, τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶντε κακῶντε.

FRANCISCI COMITIS WALDECCII.

A. G. D. E.

Quidquid agā patiarve, DEO *ſit* GLORIA SOLI:
Sit ſcopus hic vitæ, meta ſit una meæ.

FInis omniū actionū humanarū eſt DEI gloria: ad quam referri in vitâ omnia oportet, tanquam ad finem bonorū: monente Apoſtolo 1. Corinth 10. *OMNIA AD GLORIAM DEI facit̄e.* γεράων δὲ θεοῖς κάλλιστον ἀοιδή inquit Theocritus. Perpetuò igitur ſonare debet laus ejus in ore noſtro: ſecundùm Pſalmum XXXIV.

BERNHARDI COMITIS WALDECCII.

FINEM VITÆ SPECTA.

SOlonis hæc vox eſt apud Herodotum lib. 1. quâ Crœſum, Lydorum Regem,

Reſpicere extremæ juſsit ſpacia ultima vitæ.

Etenim ut Naſo canit, *— ultîma ſemper*
Exſpectanda dies homini eſt: dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaq́ funera debet.

Sic & Euripides: — τῶν δ' εὐδαιμόνων
μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν θάνῃ.

Et alibi:

λόγος μὲν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανεὶς,
ὡς οὐκ ἂν αἰῶν', ἐκμάθοι βροτῶν, πρὶν ἂν
θάνοι τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἴτ' ᾧ κακός.

PHILIPPI COMITIS WALDECCII.

NE QUID NIMIS.

E. V. H. B. D. W.

NIL NIMIVM: nimium quod erit, nimis omne moleſtum eſt:
Major enim mediis gratia rebus ineſt.

PIndarus apud Plutarchum: σοφοὶ (inquit) τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς. Et Comicus: *Id arbitror apprimè in vitâ eſſe utile, ut NE QVID NIMIS.* Nam, ſecundùm Plautum, modus omnibus in rebus optimum eſt habitu: nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex ſe. Sic Plutarchus in Camillo: ἡ εὐλάβεια καὶ τὸ ΜΗΔΕΝ ΑΓΑΝ ἄριστον. Et Auſonius de ſeptem Sapientibus:

Ex Mitylenæis, NIMIVM NIL, Pittacus oris.
Menſuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.

LUDOVICI COMITIS LEININGII.

Gottes Wort / Mein Hort.

PRÆSIDIUM Deus eſto MEUM tuus optime SERMO:
Sermo tuus, DEUS, eſt portus & ara piis.

MUnimentum & præſidium optimum pii hominis eſt verbum Dei: quod eſt gladius Spiritus, teſte Apoſtolo Epheſ. 6. quo qui armatus eſt, Sathanam hoſtem non ſolùm repellere, ſed profligare, adeoq; totum conficere rectè poterit. *Felix* igitur *mens, cui individuus comes eſt verbum Dei:* teſte Bernhardo.

PHILIPPI COMITIS LEININGII.

Kein Glück ohn Neid.

Fortuna gratum, ni latet, nunquam facit:
FELICITATIS *namq;* INVIDIA *eſt* COMES.

FAcit gratum fortuna, quam nemo videt; ait Mimus. At contrà nullus eſt, ſecundùm Plautum, qui non invideat alteri rem ſecundam obtingere. Semper enim felicitatis comes eſt invidia: &, ut eſt apud Euripidem, εἰς τ' ἐπίσημα ὁ φθόνος πηδᾶν φιλεῖ. *Sola* autem *miſeria caret invidiâ:* teſte Val. Maximo lib. 4.

REINHARDI COMITIS LEININGII.

QUÆ NOCENT, DOCENT.

Si qua nocent, ſimul illa docent: NOCVMENTA malorum
Sic DOCVMENTA bonis ſæpius eſſe ſolent.

PUdore & jacturâ cautiores & doctiores evadere homines, vulgari proverbio notum eſt. Quæ enim nocent, docent: &, ut Græci dicunt, παθήματα, μαθήματα. Quod & hoc modo effertur: ἐξ ὧν ἔπαθες, ἴμαθες. At multò conſultiùs eſt, alieno malo cautiorem fieri, ſecundùm Græcum ſenarium:

βλέπων πεπαίδευμ' εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.

Nam, ut Tibullus canit,

— Felix, quicunq; dolore
Alterius diſcit poſſe carere ſuo.

IOANNIS LUDOVICI COMITIS LEININGII.

SAPIENTIÆ OTIA NEGOTIA.

Nil agere, ſemper infelici eſt optimum:
At OTIVM SAPIENTIS eſt NEGOTIVM.

SYmbolum hoc eſt apud Bernhardum: SAPIENTIÆ OTIA, NEGOTIA. Nunquam enim vir ſapiens tam otioſus eſt, quin ſit occupatiſſimus: ſi munere ſuo rectè fungi cupiat: quod ei inprimis eſt propoſitum: ut non minùs otii, quàm negotii ſui extet ratio. Itaque *P. Scipionem Africanum* dicere ſolitum ſcripſit Cato: Nunquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cum otioſus: nec minùs ſolum, quàm cum ſolus eſſet. Sed gravis, ut in proverbio eſt, ſemper feriæ ſunt: &, ut Mimus habet,

Nil agere, ſemper infelici eſt optimum.

EITELII-FRIDERICI COMITIS ZOLLERII.

Adams Ripp vnd Rebenſafft.

Dulce merum, dulcis conjux, mens conſcia recti;
Quid tribus his junctis dulcius eſſe poteſt?

Conjuge benignâ nihil eſt ſuavius: quam tanquam coſtam corporis ſui maritus amplecti meritò debet. Nam, Euripide teſte,

οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ
τοσοῦτον εἶχεν διαφόρους τὰς ἡδονὰς,
ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
γνώμη δικαία.

Sed & ſcitum lignum vitis eſt: ſeu, ut Euripides loquitur, σοφόν γε ξύλον τῆς ἀμπέλου. Nam & , ſecundùm Poëtam, *Vina parant animos Veneri*: adeoq; , ut Ariſtophanes ait, οἶνος ἀφροδίτης γάλα, dulcè vinum, lac Veneris eſt.

οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν κύπρις,
οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.

Sed tenendum eſt tamen Maronis illud præceptum:

Vina ſitim ſedent: natis Venus alma creandis
Serviat: hos fines tranſiliiſſe nocet.

JOACHIMI COMITIS ZOLLERII.

REX EST, QUI METUIT NIHIL.

Rex est, qui metuit nihil: *hoc ſibi quiſque dat ipſe*
Regnum: virtutem ſi colit atque Deum.

Seneca in Thyeſte:

REX EST, QVI METVIT NIHIL:
Hoc regnum ſibi quiſque dat.

Et ibidem:

Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qui poſuit metus
Et diri mala pectoris:
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet:
Qui tuto poſitus loco,
Infra ſe videt omnia:
Occurritque ſuo libens
Fato, nec queritur mori.

ALBERTI COMITIS HOHELOII, DOMINI LANGENBURGII.

CERTUM EST ET INEVITABILE FATUM.

Certum fati tempus: Inevitabile Fatum
Mortis: mors præſtò eſt, mors & ubiq; domi.

Lex univerſi eſt, quæ jubet naſci & mori, ait Publius: &, ut Manilius canit,

Naſcentes morimur, finiſq; ab origine pendet.

ὀ γάρ τις ἀπότροπίη θανάτοιο; ſecundùm Apollonium: adeoque, ut Naſo vult, rigidum jus eſt & inevitabile mortis. Sic Lucretius:

Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat:
Nec devitari lethum pote quin obeamus.

Et Martialis:

Nullo fata loco poſſis excludere: cum mors
Venerit in medio Tybure Sardinia eſt.

Sic nimirum ubique mors eſt, teſte Seneca. Sed &; ut Homero placet,

ὅπως ἐςὶ Διὸς νόον ὀυτ' ἀλιῶσαι,
ὄυτε παρεξελθεῖν.

Nam, ſecundùm Manlium, Certum est et inevitabile fatum.

WOLFGANGI COMITIS AB HOHENLOE.

RIEN SEN CAUSA.

Nichts ohn Vrſach.

Ne temerè quid agas; SINE CAUSA NIL *fit honeſtè:*
Quidquid agis finem reſpice; cautus age.

PLatonicum hoc eſt, NIHIL FIT SINE CAUSA. Cauſa enim à ſuis effectis non ſejungitur, ut ait Cicero: &, ut Ariſtoteles, ἅμα τὸ αἴτιον, καὶ οὗ αἴτιον: καὶ ἄνευ αἰτίου, οὐδέν ἐστι. Sed & prudentiæ pars non eſt minima, in omni actione ad finẽ, propter quem actio ſuſcipitur, quàm ſæpiſſimè reſpicere: ne à ſcopo aberretur. Ex quo eſt vulgare illud:
Quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finẽ.

FRIDERICI COMITIS HOHELOII.

G. G. G.

Gott gib Gnad.

Sit tua ſit mecum Deus ô tua GRATIA *ſemper;*
Tu Deus & Dominus ſis maneasq́ meus.

GRatiæ divinæ adſcribitur omne, quod à nobis proſperè geritur, ait Gregorius. Sed & gratia Dei, non poteſtate noſtra, in melius mutamur, teſte Auguſtino. Petenda igitur eſt à Deo ſemper gratia: quæ, ut idem Auguſtinus ait, non ſolùm adjuvat juſtũ, ſed & impium juſtificat.

PHILIPPI LUDOVICI COMITIS ISENBURGII.

Gottes Rath der beſte.

CONSILIUM RES TUTA DEI: *nil fidere cuiquã*
Fas homini: mendax ſcilicet omnis homo èſt.

OMnis εὐβουλία, quæ eſt ὁδὸς πρὸς τὰ βουλεύματα, παρὰ θεοῦ eſt: & in maxima felicitatis parte numeranda. Quantum verò per ſe humana poſſit ſapientia, Xenophon in Cyro his verbis declarat: ἡ σοφία ἀνθρωπίνη οὐδὲν μᾶλλον οἶδε τὸ ἄριστον αἱρεῖσθαι, ἢ εἰ τις κληρούμενος, ὅ,τι λάχοι, τοῦτο πράττοι. θεοὶ δὲ ἀεὶ ὄντες πάντα ἴσασι τά γεγεννημένα, καὶ τὰ ἐόντα, καὶ ὅ,τι ἐξ ἑκάστου αὐτῶν ἀποβήσεται. Et Naſo:

Crede mihi, miſeros ſapientia prima relinquit:
Speſq́; ſimul cum re, conſiliumq́; fugit.

WOLFGANGI COMITIS ISENBURGII.

Die Zeit bringt alles.

Omnia fert Tempus: *ſecũ trahit omnia tempus: Et nullũ eſt, q; non tempore cedat, opus.*

Quidquid ſub terra eſt, in apricum proferet ætas; ait Flaccus: &, ſecundùm Menandrum,

πάνθ' ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει.

Ex quo rectè à Cratete τέκνων σοφὸς ὁ χρόνος dicitur. ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος: adeoq; eodem Menandro teſte, σύμβουλος οὐδείς ἐστι βελτίων χρόνου.

HENRICI COMITIS ISEBURGII.

Traw Gott in allen dingen.

Fidere ſi cui vis benè, Rebus in omnibus *uni* Fide Deo: *ſanctos hæc beat una fides.*

Fidem poſſe habere, omnium eſt: ſed habere, ſolius gratiæ divinæ: inquit Auguſtinus. Et Proſper: Fides hominum, Dei donum eſt: ſine cujus gratiâ nemo currit ad gratiam.

SALENTINI COMITIS
ISENBURGII.
M. H. zu Gott.

In ſclo ſperare Deo tutiſſima res eſt:
Deſperet, quisquis non putat eſſe Deum.

SPes anchora animæ tuta & firma eſt: ut ad Hebræos ſcribit Apoſtolus; quæ mentis eſt ad DEUM vera converſio, teſte Bernhardo; & fiducia futuræ beatitudinis, quæ ſola hominem in miſeriis conſolatur. Nam, ſecundùm Auguſtinum, *tribulatio noſtra in præſenti ſeculo eſt; ſpes verò de futuro; quò fit, ut, niſi in tribulatione præſentis ſeculi conſoletur nos ſpes futuri ſeculi, omninò nobis pereundum ſit.* Sic & Bernhardus: In ſpe (inquit) vivimus, ne deficiamus in tribulatione præſenti: quod in exſpectatione ſumus futuri gaudii: quod nunquam deficiet.

WILHELMI COMITIS ÇIMBRICI.

M. H. Z. G.

Seu bona ſors recreet, ſeu me ſors dura fatiget:
IN *ſolo poſita eſt* SPES MEA *firma* DEO.

SPes eſt ſalutis noſtræ anchora, & vitæ noſtræ fundamentum; eſtque dux itineris, quo itur ad cœlum: de quâ dicit Apoſtolus Rom. 8. *Spe facti ſalvi ſumus.* Quippe in eâ ſalus noſtra conſiſtit: quæ de terris animas veluti quibuſdam catenis cœlitùs dependentibus innixas, ſibi evehit ad ſuperiora; & revocat ad ſedes cœleſtes eos, qui ſibi vehementius inhærent: celſioresque eos vitæ hujus terrenorum malorum turbinibus reddit. Si quis ergo inter hæc poſitus reſolvatur animis: & ſalutaris ſpei anchoram dimittat è manibus: decidat neceſſe eſt in abyſſum, atq; in profundo malorum enecetur.

GEORGII COMITIS ERBACHII.

Gott mein Troſt.

Rebus in anguſtis MEA CONSOLATIO *ſola*
Sit Deus: unus hic eſt ſi mihi præſtò, ſat eſt.

ERASMI COMITIS WERTHEIMENSIS.

AUXILIUM MEUM à DOMINO.

A DOMINO, *cœli qui jura ſoliq́ue gubernat*, AUXILIUM *ſpero, non aliundè*, MEUM.

SYmbolum hoc à Davide relatum exſtat in Pſalmo 122. AUXILIUM MEUM à DOMINO. Nam, ut ille habet,

Nullius eſt felix conatus & utilis unquã,
Auxilium ſi non detq́ juvetq́ Deus.

Adeoque, ſecundùm Aurelium, ſatis ibi vacillat humanum ſtudium, ubi non requiritur Dei auxilium. εἷς γὰρ θεὸς πολλοὶ φίλοι: ut eſt in proverbio.

MICHAELIS COMITIS WERTHEIMENSIS.

Chriſtus mein Leben / Sterben mein Gewin.

Seu moriar, ſeu vivo, tuus ſim CHRISTE, *meusq́*
Tu ſis: ſic vita eſt gloria, morsq́ lucrum.

BODONIS COMITIS
STOLBERGII.
IN DOMINUM SPERO.

Dum ſpiro, ſpero: ſed IN unum pectore toto
SPERO DEUM: *ſine quo non datur ulla ſalus.*

SUmma perfectionis eſt, in Deum ſperare, ut Aponius ait. Qui ergo ſperat, is credit in Deum: qui non ſperat, non credit. Nam defectus ſpei, ſimul eſt defectus fidei. Quiſquis autem Chriſto non credit, quantum in ſe eſt, Chriſtum condemnat: aut ſi credit quidem, ſed adhuc ambigit, eum dijudicat, teſte Origene. *Noli* igitur *dubitare in fide DEI: noli duplex eſſe animo in oratione tua: ſiquidem is beatus eſt, qui non dubitaverit:* ut S. Martialis ſcribit.

ALBERTI COMITIS
LEOSTENII.
DEO CONFIDO.

Quidquid ago, CONFIDO DEO:*confidere mun-*
Aut ſibi, nec puto fas eſſe, nec eſſe pium. (*do*

LUDOVICI COMITIS
LEOSTENII.
Chriſtus mein Leben.

O quàm dulce bonum eſt, uni ſic vivere Chriſto:
Seu vivas, ut ſit, ſeu moriare, lucrum.

CHRISTOPHORI COMITIS LEOSTENII.

FORTUNÆ IN UTRAQUE FORTUNA MEMOR: IN UTRUMQUE PARATUS.

Fortunæ fortunâ in utraq; memento: Paratus,
Seû bona ſeu mala ſit ſors, In utrunq; *mane.*

PEriandri ſymbolum eſt apud Auſonium:
Si fortuna juvat, caveto tolli:
Si fortuna tonat, caveto mergi.
Cui reſpondet Theognidis illud:
μηδὲν ἄγαν χαλεποῖσιν ἀσῶ φρένα μήδ᾽
χαῖρε. Nam, ſecundùm Flaccũ, (*ἀγαθοῖσι*
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus. Sic & Seneca in Thyeſte:
Nemo confidat nimium ſecundis, (manus:
Nemo deſperet meliora lapſis. Et Cato Ro-
Tranquillis rebus quæ ſunt adverſa caveto:
Rurſus in adverſis melius ſperare memento.

WOLFGANGI COMITIS LEOSTENII.

OMNIA IN BONUM.

G. W. A. Z. B. (verte
Quæ patimur mala, vel facimus, Deus omnia
In melius: *quod vis, tu facis omne bonum.*

RUDOLPHI COMITIS HELFESTENII.

PAX OPTIMA RERUM.

Nulla ſalus bello: vitæ PAX OPTIMA RERUM:
Optima pax cuſtos unâ ſalutis erit.

PUlcrè Silius Italicus: PAX OPTIMA RERŨ.
Quas homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens.
Et M. Cicero: Dulce eſt nomen pacis: res verò ipſa tùm jucunda, tùm ſalutaris. Pax enim eſt tranquilla libertas: quâ ſublatâ, nec leges, nec judicia eſſe poſſunt: cujus profectò tam magnum eſt bonum: ut in rebus creatis nec gratioſius audiri, nec delectabilius concupiſci, nec utilius poſſideri quidquã ſoleat; teſte Auguſtino. Rectè itaq; Maro:
Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.

HUPERTI COMITIS EBERSTENII.

Gedult mit Hoffnung.

Quidquid ubiq; malum eſt, CUM SPE PATIENTIA *lenit:*
Iſta malum tolerat: ſperat at illa bonum.

GEORGII COMITIS CASTELLANI.

Alles Gott befohlen.

Fortunam, vitamq́, meam, me deniquè totum,
Et, ſi qua mea ſunt, OMNIA MANDO DEO.

*

Quod ſit, id OMNE DEO *ſoli* COMMENDO: *triũ-*
Preſſa diu tandẽ quo bona cauſa duce. (phat

FRIDERICI COMITIS CASTELLANI.

CONTENTEMENT PASSE RICHESSES.

Si pia MENS, *& ſorte ſuâ* CONTENTA *ſit, omnes*
VINCIT OPES: *homini ſufficit omne piò.*

MAgnus quæſtus eſt pietas cum animo ſorte ſuâ contento, inquit Apoſtolus 1. Tim. 6. Nam &, Lucretio teſte,

Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parcè
Æquo animo: neq; enim eſt unquam penuria parvi.

Primus ſiquidem divitiarũ modus eſt, habere, quod neceſſe eſt: proximus, quod ſat eſt: auctore Seneca. μόνος δὲ ὁ αὐταρκὴς, πλούσιος. Itaque ſi ad naturam vivas, nunquam eris pauper: ſin ad opiniones, nunquam eris dives. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum; eodem Seneca teſte. Benè igitur Horatius:

Quod ſatis eſt, cui contingit, nihil amplius optet.

HENRICI COMITIS CASTELLANI.

Zeit bricht Roſen.

Omnia tempus alit: ſegetes facit, & coquit uvas:
Carpit & è ſpinis tempore virgo roſas.

OMnia tempus alit, ait Poëta, αἰὼν κυλινδομένοις ἀμέραις ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξάλλαξεν, teſte Pindaro. Etenim, ſecundùm Naſonem,

— Mora dat vires, teneras mora percoquit uvas:
Et validas ſegetes, quæ fuit herba, facit.

Quod & Græcorum proverbio notum eſt: ἔτ☉ φέρει, ἐχὶ ἄρερα: Añus ꝓducit nō ager.

WOLFG. COM. CASTELL.

OMNIA PRÆCLARA, RARA.

Quicquid PRÆCLARUM, RARUM *quoq; ſemper habetur:*
Sic carū, rarū quod fuit, eſſe ſolet.

COrn. Taciti ſententia eſt; OMNIA PRÆCLARA, RARA. Et quia rara, plerumque etiam cara ſunt: ſiquidem, ut Plato vult, τὸ σπάνιον, τίμιον: *Omne rarum, carum:* &, ut Hieronymus, omne quod rarum eſt, plus appetitur. Facilè enim res uſitatæ è memoria labuntur; inſignes verò & novæ manent diutiùs, teſte Cornificio. Sic nimirum, auctōre Livio, faſtidium facit copia: & frigidiùs amamus ſemper ea; quibus, ubi libeat, potiri fas eſt.

GEORGII COMITIS MONTFORTII.

IN SPE PATIENTIA.

Si te cura premit, tacitus moderare dolorem:
SPES PATIENS *magni ſit medicina mali.*

JOHAN. COM. MONTFORTII.

CONSILIUM ANTE REM.

Poſt rem conſiliũ non utile: CONSILIUM REM
ANTE *eat: ſic hoc utile forſan erit.*

PYthagoricũ ſymbolũ eſt: βȣλέυȣ δὲ πρὸ ἔργȣ, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται. Præcipitis conſilii aſſecla eſt pœnitentia, teſte Platone. *Prius* igitur, *quàm incipias, conſulto; & ubi cõſulueris, maturè facto opus eſt:* ſecundùm Saluſtium. Quod & Corn. Taciti hoc ſymbolũ monet: CONSILIUM ANTE REM. Et Socratis illud apud Xenophontẽ: νόει, καὶ τότε πρᾶττε. Nam, ut apud Baptiſtam Mantuanum eſt,

— *Vtile non eſt*
Conſilium poſt facta, dari quod oportuit antè.

WOLFGANGI COMITIS MONTFORTII.

TENDIT IN ARDUA VIRTUS.

Difficilis, fateor, quæ TENDIT IN ARDUA VIRTUS
Cultori decus hinc dat requiemq; ſuo.

CHRISTOPHORI LADISLAI COM. NELLENBURGII ET TENGII.

M. V. A. Z. G.

Mein Vertrawen allein zu Gott.

Nulla meis meritis FIDUCIA: *mentis* IN UNO
Fixa meæ ſpes eſt certis fidesq́; DEO.

PRæclarè Bernhardus: Hoc eſt ſapere, ex fide vivere. Si hoc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omninò ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias: & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, totâ animi devotione ac toto fervore ſpiritûs inhærere? Si quid ei impoſſibile; aut ſi quid difficile eſt: quære aliud, in quo ſperes. Sed verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? Si decreverit ſalvare nos, continuò liberabimur: ſi vivificare placuerit; vita in voluntate ejus eſt: ſi præmia largiri æterna; licet ei, quod vult, facere. Denique quomodo deſit in ſe ſperanti majeſtas illa, quæ tam ſtudioſè monet in ſe ſperari? Planè non derelinquet ſperantes in ſe: adjuvabit eos & liberabit. Quare? quibus meritis? Quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa: at efficax & irrefragabilis.

EBERHARDI COMITIS TÜBINGENSIS.

DOMINUS PASTOR MEUS.

G. M. D.

Paſtor ovis læto ceu paſcit gramine: verbo
Sic DOMINUS PASTOR *me cibat ipſe ſuo.*

CONRADI COMITIS TÜBINGENSIS.

PARVIS DIVES CONCORDIA REBUS.

PARVIS *eſſe ſolet* DIVES CONCORDIA REBUS:
Diſſipat at magnas lis furialis opes.

SCitum eſt Saluſtii illud: CONCORDIA RES PARVÆ CRESCUNT, diſcordiâ magnæ dilabuntur. Et Publii hoc alterum:

Auxilia humilia firma conſenſus facit.

Nam &, ſecundùm Homerum,

συμφερτὴ ἀρετὴ πέλει ἄνδρων καὶ μαλὰ λυγρῶν.

Semper enim unita virtus fortior: quod & Phyſici docent.

ALBICI COM. TUBINGENSIS.

VIRTUTE NON SANGVINE.

Qui ſapit, is VIRTUTE *cupit*, NON SANGVINE *clarus*
Eſſe magis: magis hinc nobilis eſſe poteſt.

HERMANNI COMITIS
TÜBINGENSIS.

NOMEN PRÆ OPIBUS.

Sit pietas, verbumq́ue Dei mihi regula vitæ:
PRÆq́; OPIBUS NOMEN *ſit mihi cura bonũ.*

JOACHIMI COMITIS
ORTEBURGICI.

Eile mit Weile.

Sic propera, modicè ſimul ut cuncteris agendo:
Maturat ſapiens rem bene quippe mora.

ANTONII COMITIS
ORTEBURGII.

PREMITUR, NON OPPRIMITUR.

Si PREMITUR, NON OPPRIMITUR *doctrina fidesq́;*
Veri: preſſa magis exſerit inde caput.

*

Si premitur, non opprimitur lux conſcia veri:
Quò magis hæc premitur, ꝓmicat illa magis.

HENRICI COM. ORTEBURG.
MEA DEUS GLORIA.

Nil ego ſum: ſine te nec, quod ſum, glorior eſſe:
Tu MEA *quippe* DEUS GLORIA, *nulla mea eſt.*

GEORGII COMITIS ORTEBURGICI.

IN SPE ET VIRTUTE.

Spes tolerat, ſuperat mala Virtus: dum licet ergo
In Virtute *malum,* Speq́; *fer omne bonum.*

CAROLI COMITIS ORTEBURGICI.

RERUM SAPIENTIA CUSTOS.

Et vitæ & Rerum Sapientia *maxima* Cu-
Sola dat, & cunctas unica vincit opes.(stos:

JOANNIS COMITIS ORTEBURGICI, Bar. Freyenſtenii.

QUOD VIDERI VIS, ESTO.

Quod ſis, eſſe velis; ſimul videri
Quod vis, eſto: nec amplius quid eſſe
Malis, quàm quod es, aut ſimul videri:
Præſtat nempe bonum eſſe, quam videri.

BERNHARDI COMITIS ORTEBURGICI.

SAT CITO SI SAT BENE.

Ne nimium propera: non quam citò, quàm benè refert
Cautus agas: cito quod fit, citò nempe perit.

EBERWINI COMITIS TECLEBURGII ET BENTHÆMII.

NESCIS, QUID VESPER SERUS VEHAT.

Ein ſchönen Tag lob vmb den Abend.

Lux quòd clara fuit, ſero ſub veſpere lauda:
Neſcis, quid ſeri veſperis hora ferat.

NON eſt deſpondendus animus, aut contrahendus reflante fortunâ: quippe adverſis matutinis interdum ſuccedunt proſperè veſpertina. Sic è diverſo nō eſt nimium confidendum rebus ſecundis: ſiquidem nulla dies ante Solis occaſum clara dici debet, aut ſerena. Quod Maronis hoc monet Symbolum: NESCIS, QUID VESPER SERUS FERAT. Quod & apud Livium extat: Quid veſper vehat, incertum. Simul enim parta ac ſperata decora unius horæ fortuna evertere poteſt. Rectè igitur Cato:

Cū fueris felix, quæ ſunt adverſa, caveto:
Nāq; eodē caſu reſpondent ultima primis.

ERNESTI COMITIS HONSTENII.

DEUS SPES MEA, NON CONFUNDAR.

Spes Mea *magna* Deus: *fruar hac ſpe nempe ſalutis,*
Dū Vivam, *fiſus tempus in omne Deo.*

MARTINI COMITIS HONSTENII.

W. G. V. H. W. G.

Wer Gott vertrawt / Hat wol gebawt.

Fide Deo: fidit qui rebus in omnibus uni
Spontè Deo; rectè, quod facit, omne facit.

GEORGII RUDOLPHI COMITIS à GLEICHEN.

Mein Hoffnung zu Gott.

Qui ſperare poteſt nihil, haud deſperet is: una
In *Domino ſit* Spes *& mea cura* Deo.

PHILIPPI ERNESTI COMITIS GLEICHENSIS.

PIETAS AD OMNIA UTILIS.

Tuta ſatis res eſt Pietas, *&* ad omnia *ſemper*
Utilis: *in vitâ morteq; ſola beat.*

HERMANNI COMITIS WIEDANI.

Jch weiß daß mein Erlöſer lebet.

Credo equidem mihi quòd VIVIT MEUS *ille* REDEMPTOR:

Semper ut huic vivam, me juvat ergo mori.

JObi cum judicibus improbis diſceptantis vox eſt: quâ provocat ad Dei tribunal: qui Judex eſt vivorum & mortuorum: quem Redemtorem ſuum, aut, ut Hebræis placet, agnatum & tutorem vocat legitimum: qui victor mortis, & auctor vitæ eſt: cum quo etiam revicturus ſit in carne ſuâ: ut vivat in cœlo perpetuò. Pulcrè enim Maximus: *In Chriſto* (inquit) *homine cujuſque noſtrûm eſt caro, & ſangvis, & portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo: ubi dominatur ſangvis meus, dominari me ſentio: ubi glorificatur caro mea, me quoque glorioſum eſſe agnoſco.*

WILHELMI COM. à WIEDA.

M. H. Z. G.

CHRISTUS *in æternũ tutor meus atq; redemtor:*
In morte & vitâ ſorsq; ſalusq; mea eſt. (*ſolũ:*
Hunc timeo, hunc veneror, ſuper omnia diligo
Huic ſoli fido, hic SPES MEA *ſolus erit.*

Mart. Luth.

WOLFGANGI COMITIS BARBIENSIS.

Trew iſt Műhlich.

Ne tuivis impone manum citò, neu citò crede
Aut temerè: RES EST LUBRICA *quippe* FIDES.

ALBERTI COM. HOIENSIS & BRUCHUSII.

NULLA EST SINCERA VOLUPTAS.

NULLA *per humanas res* EST SINCERA VOLUPTAS;
Solicitum lætis ſemper adeſſe ſolet.

HIERONYMI SCHLICKII COMITIS PASSAVNII.

VITA MIHI CHRISTUS.

Vt nunc dulce mori eſt, ſic dulce reſurgere quondam:
VITA MIHI CHRISTUS, *mors mihi dulce lucrum.*

JOACHIMI COMITIS BEURENSIS.

Jch wags / Gott vermags.

POSSE DEI *eſt*, AUDERE *meũ: cũ numine rectũ*
Aude aliquid: cœptum dirigit omne Deus.

WILHELMI COMITIS
DE MONTE.
DOMINUS PROTECTOR MEUS: A QUO TREPIDABO?

Cur trepidē? metuā quid & à quo deniq; ? vitæ
PROTECTOR DOMINUS *ſi manet ipſe meæ.*

OSVALDI COMITIS
BERGENSIS.
MODERATA DURANT.

Omne nocet nimium: DURANT MODERATÀ, *vigentq;*
Firma diu: ſubito tempore magna ruunt.

JODOCI COMITIS
BERGENSIS.
CRESCIT LAUDATA VIRTUS.

Magnus honor ſtimulus: CRESCIT LAUDATA *ſubinde*
VIRTUS: *& magnū gloria calcar habet.*

HOnos alit artes: neque ſolùm artes, ſed & virtutem honos alit: cujus merces eſt & præmiū: magnuſq; adeo ſolet ſtimulus eſſe rerum gerendarū, gloria. Nam &, ſecundùm Naſonem,

— non parvas animo dat gloria vires:
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Sic M. Cicero: Honos (inquit) alit artes: omneſq; incendimur ad ſtudia gloria: jacentq; ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur.

FRANCISCI COMITIS TURRIANI.

DOMINUS TURRIS ET ARX MEA.

Alles Gott befohlen.

TURRIS ET ARX DEUS *eſt*, MEA *magna potentia ſolus:*
Omnia commendo ſic mea nempe Deo.

GEORGII COMITIS à TURRI, Valſaſinæ & S. Crucis Domini.

TURRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI.

TURRIS & ARX DOMINI *ſanctũ* FORTISSIMA
Præſidiũ mentis confugiumq́ pia. (NOMEN:

HIERONYMI COMITIS TURRIANI.

SIS MIHI DEUS IN TURRIM FORTITUDINIS.

Gott traw Ich.

Tu mihi ſis turris, ſis arx & ahenea ſemper:
Dum vivo, ſoli me tibi credo, DEUS.

MARTINI COM. TURRIANI.

Traw / Schaw Wehme.

FIDE *parũ, multũq́* VIDE, CUI *fidere fas ſit:*
Fidere multa, ſed haud multa videre nocet.

REIMUNDI COMITIS TURRIANI.

SPERO IN DEUM.

Credo DEUM, SPEROq; *fide ſincerus* IN UNUM:
A quo certa ſalus, non aliunde, venit.

JOANNIS COMITIS HARDEGGII.

DEO DUCE, COMITE VIRTUTE.

Sit Dux *ipſe* DEUS: COMES *adſit ſedula* VIRTUS:
Egregium virtus nil facit abſq; Deo.

INitia rerum Deo, cætera VIRTUTI commendanda ſunt: ait Æneas Sylvius. Nam, ut in proverbio eſt, σὺν ἀθηνᾷ τὴν χεῖρα κινητέον: neque fiduciâ opis divinæ induſtria remittenda. *Dii* enim *facientes adjuvant*, ut Varro ſcribit. Itaque & orandum, & laborandum eſt: omniaque cum virtute agenda ſemper, Deo duce. Sic nimirum, ſecundùm Homerum, ἄλλα μὲν αὐτὸς, ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

GEORGII FRIDERICI COM. HARDEGGII.

GRATIA FIDEI JUSTI COELUM HABENT.

Cœlum juſtus habet, fidei quod gratia donat
Per Chriſtum: Chriſto fidere certa ſalus.

MARCI FUGGERI COMITIS KIRCHBERGII & WEISSEHORNII.

Vnverſucht/ Vnerfahren.

Qui nil tentat, inexpertus manet ille rudisque:
Expertus meliùs, quod gerit, omne gerit.

JOAN. FUGGERI COM. KIRCHBERGII & WEISSEHORNII.

Wems gerath/ der lobs.

Cui bonus Eventus favet & fortuna ſecunda,
Laudet, & in tacito gaudeat ille ſinu.

JACOBI FUGGERI COMITIS KIRCHBERGÆ & WEISSEHORNÆ.

INVIDIA FELICITATIS COMES.

Fortuna gratos, ſi lateat, facit:
Si non latet, mox invidiæ objicit.
FELICITATIS *ſic* COMES INVIDIA *eſt:*
Nec læta virtus, hoſte carens ſuo.

PHILIPPI EDOVARDI COMITIS KIRCHBERGII & WEISSEHORNII.

VEXATIO DAT INTELLECTUM.

Si qua nocent, magis illa docent: VEXATIO *rectũ*
Sic INTELLECTUM *ſæpe* DAT *ipſa bonis.*

CHRISTOPHORI FUGGERI COM. KIRCHBERGÆ & WEISSEHORNÆ.

IN SECUNDIS PRUDENS, IN ADVERSIS CAUTUS.

Æquàm memento rebus in arduis
Servare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitiâ bene gaudioqúe.

ANTHONII FUGGERI COMITIS KIRCHBERGII &c.

TRANQUILLITAS, FELICITAS SUMMA.

Summũ bonũ, vitæ quies: TRANQUILLITAS
FELICITAS *eſt* SUMMA*: cui ſic vivere*
Datur, profectò felix & beatus eſt.

PEriandri Symbolũ eſt; Bonares quies: & alterũm hoc, BEATA TRANQUILLITAS. Cui reſpondet Thaletis illud: *Pacem dilige.* Item & hoc: *Concordiã ſectare.* Etenim, ſecundùm Apollodorũ,

ἀπραγμόνως ζῆν, ἡδὺ: μακάριος βίος
καὶ σεμνὸς, ἂν ᾖ μετ' ἑτέρων ἀπραγμόνων.

Unde & Epicharmo ἡσυχία χαρίεσσα dicitur: quæ ut ipſa per ſe ſtabilis & immota permanet: ita domum quoque & familiam in ſuo ſtatu conſervat, auctore Euripide.

HENRICI SEMPER-LIBERI BARONIS LYMBURGICI.

G. W. Z. B.

Gott wends zum beſten.

Quidquid ago patiorve, bonum ſit, faxit id, opto,
Ipſe DEUS: *qui, quod vult, facit omne bonum.*

JUSTI SEMPER-LIBERI BARONIS LYMBURGICI.

DIEV PROVOYERA.

Quid curis animum crucias mordacibus ægrũ?
Tu fac officium: PROVIDET *inde* DEUS.

SI peritus architectus, cum magnum aliquod facere ædificium conſtituit, primò omnium cogitat, quæ ſumma perfecti ædificii futura ſit: & antè emetitur, quem locum leve pondus exſpectet: ubi magni operis futura ſit moles: quæ columnarum intervalla: qui aut ubi aquarum cadentium decurſus, & exitus, & receptacula: hæc inquam priùs prævidet: ut quæcunque ſunt perfecto jam operi neceſſaria, cum ipſis fundamentis pariter ordiatur: Cur Deum quiſquã putet machinandis animalibus non antè providiſſe, quæ ad vivendũ neceſſaria eſſent, quàm ipſam vitã daret? Lactantius lib. de opif. Dei c. 6.

JOANNIS BARONIS LYMBURGICI SEMPERLIBERI.

I. H. Z. G.

Ich hoff zu Gott.

FIDO DEO, *per & hunc æternam* SPERO *ſalutem*
Fidentes Domino ſpes ſine fine beat.

VIta vitæ mortalis, ſpes eſt vitæ immortalis; ait Auguſtinus. Qui ergo gaudet in ſpe, tenebit & rem: qui autem ſpem non habet, ad rem non poterit pervenire: eodem auctore.

CONRADI BARONIS LYMBURGICI.

DEUS SUPERBIS RESISTIT.

Odit ſuperbos ſpiritus ultor Deus,
Humiles amat. Nam fons mali ſuperbia,
At mater omnis ſancta humilitas eſt boni.

QUemadmodum ſuperbia fons & initiũ eſt peccati, teſte Anshelmo; & ruinæ cauſa maxima, teſte Auguſtino: ita humilitas fundamentũ eſt virtutum, eodem auctore; & principium beatitudinis, ut vult Chryſoſtomus. Etenim, ſecundùm Senecam,

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Quod & Jacobus in ſuâ Epiſtolâ cap. 4. aſſeverat: *Deus* (ait) *ſuperbis reſiſtit: humilibus dat gratiam.* 1. Petr. 5.

CAROLI SEMPER-LIBERI

BARONIS LYMPURGICI.

MISERICORDIA DEI NITOR.

Quid ô ſuperbis virtutis merito tuæ
Homo inſolens? nulla illa, nulla eſt; tutius
NITI DEI *ſolius* MISERICORDIA.

GRatis datur gratia, non meritis operantis; ſed miſeratione donantis, teſte Auguſtino. Ipſa enim dat merita, non meritis datur. Deus autẽ auctor eſt meriti: qui & voluntatem applicat operi; & opus explicat voluntati, eodem auctore. Non eſt igitur hominis currentis, ut Propheta loquitur, ſed DEI miſerentis, ſalus & juſtitia noſtra.

LUDOVICI GEORGI Lib.

BARONIS LYMBURGICI.

SCOPUS VITÆ CHRITUS.

Sit SCOPUS *& ſit meta meæ* VITÆ *unica* CHRISTUS:
Currit ad hanc metam qui benè, victor erit.

GEBHARDI LIBERI-BARONIS WALPURGII.

FIAT VOLUNTAS DOMINI.

Sancta mihi placeat DOMINI, *dum vivo* VOLUNTAS:
FIAT *& in terris, ſicut in arce poli.*

FERDINANDI LIB. BARONIS WALPURGII.

CHRISTO SOLI LAUS ET HONOR.

Quo duce vera ſalus nobis eſt reddita: SOLI
LAUS CHRISTO *ſemper detur, & omnis*
HONOR.

CAROLI LIB. BARONIS WALPURGII.

Ich traw Gott.

Uni FIDO DEO *: nil denique cætera curo:*
Nam ſibi fidentes ſervat alitq́, Deus.

BEnè Caſſiodorus: Totum in ſe bonum habet homo, qui ſeipſum habet: is autem ſe habet, qui Deum habet: is verò Deum habet; qui credit & confitetur eum omnis boni auctorem. Beatus igitur homo, qui ſibi aliiſque diffidens, uni confidit Domino, Deo & auctori ſalutis ſuæ.

THEODORICI BARONIS SCHÖNBURGII.

Allein Gott die Ehr / vnd ſonſt niemand.

Laus SOLI *ſit ſumma* DEO, *ſit* GLORIA *ſemper:*
Arroget hanc nemo per ſua vota ſibi.

GEORGII BARONIS SCHÖNBURGII.

SOLA VIRTUS NOBILITAT.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: NOBILITAS SOLA *eſt atque*
unica VIRTUS.

Der Tugendreich iſt Wolgeborn/
Ohn Tugend Adel iſt verlohrn.
Tugend vor allem Adel geht/
Adel mit Tugend gantz wol beſteht.

ACcius apud Nonium: Non genus (inquit) virum ornat: generi fortis vir ſed eſt loco.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas: cujus laus eſt in origine ſolâ:

ut Lucanus canit. Hinc rectè Auſonius:

Pulcrius multò parari, quàm creari nobilem.

JOANNIS ERNESTI BARONIS SCHÖNBURGII.

DURUM PATIENTIA FRANGO.

Fido Deo: Durum Patientia Frango: *labori*
Nulli cedo: ſimulcuncta ferenda fero.

VITI BAR. SCHONBURGII.

DEUS ADJUTOR MEUS.

G. M. S.

Si Deus Adiutor meus *eſt; haud millè time-bo*
Hoſtes, nec cupiunt quotquot obeſſe mihi.

FRuſtra hominem timet, Deum qui timet. Nam eo ipſo, quod Deum timet, vel maximè amicum eum habet, & præſentem in omni fortunâ ducem atque adjutorem: cujus præſidio tutus eſt ab omni violentiâ humanâ: ut verè cum Pſalte Regio exclamare ei liceat: Dominus mecum et Adiutor meus: Non timebo: Quid faceret mihi Homo? Pſal. 118.

FABIANI BURGGRAVII ET DOMINI IN DHONA.

Z. B. R.

Zeit bricht Roſen.

Omnia mors abolet, virtutem præter & artem:
Semper virtutis durat & artis honos.

HENRICI RUTHENI BARONIS PLAVENSIS.

Fried nehrt / Vnfried verzehrt.

MARS *ut* EDAX *rerum, ſic* PAX *eſt optima* NUTRIX:
Nulla ſalus bello; pacis alumna ſalus.

HENRICI RUTHENI II.

Beſſer Gutloß / denn Ehrloß.

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento:
Quâ ſemel amiſſâ, poſtea nullus eris.

BOna opinio tutior pecuniâ eſt: & honeſtus rumor, alterum eſt patrimonium: inquit Pub. Syrus. Quod & Plautus monet: *Honeſtam famam ſi ſervaſſo, ſat dives ero.* Et Salomon in Eccleſiaſte c. 7. *Melius eſt nomen bonum, quàm aurum & argentum.* Itaque bona cuique exiſtimatio ſtudiosè retinenda & tuenda eſt: ſiquidem, eodem Comico teſte, hominũ immortalis eſt infamia: etiam tunc vivit, cum credas eſſe mortuum.

HENRICI III. RUTHENI.

Sihe für dich / Trew iſt Mißlich.

Multis multa loqui placet; at tu PROSPICE *cautus:*
RARA FIDES: *malus & regnat ubique dolus.*

FRIDERICI SCHENCKII LIB. BARONIS TAVTEBERGII.

BONA SOLI BONO BONA.

SOLI *ſunt* BONA *vera* BONO BONA; *qui bene norit*
Vti, ſors dederit ſi qua benigna, bona.

SCitè Plautus in Pſeudolo: Perinde ut quisque fortunâ utitur, ita præcellet. Fortunatus ergo ſciat, fortunæ BONA SOLI BONO eſſe BONA: ut Marſilius monet. Nam, ſecundùm Terentium, bona perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet: qui uti ſcit, ei bona: illi, qui non utitur rectè, mala. Sed & bonus bonis & malis; malus nec malis nec bonis bonus eſt.

HENRICI SCHENCKII LIB. BARONIS à TAVTENBERG.

D. R. M.

Ventura memores jam nunc eſtote ſenectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

LADISLAI BARONIS SCHLEINICII.

Nechſt Gott die Tugend.

Præcedat Pietas, ſequatur
Virtus: hæc comes, illa dux ſit.

PHILIPPI BARONIS
VINNABERGII.

Nicht ſpott mit Gott.

Stulte quid irrides numen nomenq; Tonantis?
Illudi patitur non ſibi, crede, Deus.

EGENOLPHI COMITIS
RAPPOLTSTENII.

TIME DEUM.

Si ſapiens ſimul & felix vis eſſe per ævum
Omne: DEUM *ſanctâ mente fideq;* TIME:

PRincipium noſtræ ſalutis ſapientiæque timor Domini eſt. DEUM TIME, & mandata ejus obſerva: hoc omnis homo eſt: ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque eo nihil eſt homo: auctore Bernhardo.

JOANNIS BARONIS
SCHWARTZEBERGII.

SPARTAM ORNA.

Wer viel in ſeiner Pflicht gloſſirt/
Gar offt von ehren Trewloß wird.

SPARTAM ORNA: *πλυπεαγμοσύνω cane pejus & angve*
Vita: perfidiam hæc ſæpe creare ſolet.

FRANCISCI BARONIS
CRIECHINGII.
TECUM HABITA.

TECUM HABITA: *tua cura: ſecum vivere præſtat,*
Quàm cum aliis: ſibi nam qui ſapit, ille ſapit.

PErſianum Symbolum eſt:
TECUM HABITA, *ut noris, quàm ſit tibi curta ſupellex.*

Monet aliâs idem Perſius in ſeſe deſcendere: nec aliorum manticam ſpectare potiùs, quàm noſtram. Fit enim plerunque, ut per trabem oculi ſui alter feſtucam alterius nitatur eruere, auctore Hieronymo: aliena magis, quàm ſua curando: imò ferè mala ſua ignorando, & in aliorum vitia acriter intuendo: inſtar lamiarum, quæ domi cæcutiunt, fòris vident omnia. Quod vitiũ πολυπραγμοσύνη dicitur: quam Plutarchus Φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν definit. Sed præſtat profectò ſecũ, quod dicitur, vivere: & ab ipſo lare, ſive ut Græci loquuntur, ἀφ᾽ ἑστίας incipere.

VITI MARESCHALLI BAR. PAPPENHEMII.

SPES MEA CHRISTUS.

Spes eſt in vivis: non eſt ſpes ulla ſepultis:
Spero, dum ſpiro: SPES MEA CHRISTUS *erit,*

ERNRICHI BARONIS SCHVENDII.

CONFIDE, RECTE AGENS.

Confidit bene, nec veretur ullum
Rectè quisquis agit: nec extimeſcit
Magni terriculi metu malique.
Conſcientia nempe mille teſtes,
Lingvæ nullius invenit precatus:
Culpâ nec pavitat, ſuâve pœnâ;
Vitæ murus aheneus decoræ,
Virtutis celeberrimum theatrum.
Sic tu RECTE AGE, *neminem verere,*
Purus criminis, integerq́, vitæ.

JULII BARONIS SCHVENDII.

MULTA ALIIS, NIHIL TIBI.

Cæcus amor plerunque ſui multùm nocet, at tu
Ignoſcas ALIIS MULTA, NIHIL*que* TIBI.

CLeobuli hoc Symbolum eſt apud Auſonium: Ignoſcas ALIIS MULTA, NIHIL TIBI. Quod & apud Senecam legitur hoc modo: Alteri ſæpe ignoſcito, tibi nunquam. Idem quoque monet Cato Romanus:

Cũ quid peccaris, caſtiga te ipſe ſubinde:
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.

LAZARI SCHVENDII BARONIS LANDSBERGII, EQ. AUR.

DURAT ET LUCET VERITAS.

VERITAS DURAT *magis atq;* LUCET,
Quo magis cæcis latitat tenebris
Preſſa. ceu flamma micat inde fulgur
Purior, longum ſtabilis per ævum.

ADAMI BAR. DIETRICHSTE-NII & HOLBURGII.

IN DEO VIRTUTEM.

IN DEO *quisquis facit; ille verè,*
Crede, VIRTUTEM *facit, & triumphat*
Victor, æternæ ſtatuens trophæum
Laudis: & vitæ meritus beatæ
Flore vernantem ætherio coronam.

MAgnas & arduas res gerere, tam in bello quàm in pace, non niſi in Deo & cum Deo licet. Quod David ille Rex ſuo comprobans ſymbolo Pſal. 108. *IN DEO* (inquit) *FACIEMVS VIRTVTEM: is hoſtes noſtros profligabit & proſternet.* Nã &, ſecundùm Pindarũ, ἐκ θεῶν μάχαναι πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς, καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βιαταὶ, περίγλωσσοί τ᾽ ἔφυν: verumque eſt Simonidis illud: οὐδεὶς ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν, οὐ πόλις, οὐ βροτὸς: θεὸς ὁ πάμμητις: ἀπήμαντον δὲ οὐδέν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. Notum eſt quoq; Tullianũ illud lib. 2. de Nat. deor. Nemo vir magnus ſine afflatu divino unquã fuit.

GABRIELIS STREINII BAR. SCHWARTZENAVII.

Thue recht / Fürcht Gott.

Recte age *ſponte,* Deumque *time: ſit regula*
Illa tua: felix ſic potes eſſe diu. (*vita*

RICHARDI STREINII BARONIS SCHWARTZENAVII.

SOLES OCCIDERE ET REDIRE POSSUNT.

Soles occidere et redire possunt:
Quid vult hoc ſibi quaſo dic Richarde?
An quòd cum ſemel occidit, miſellis
Fortunæ redit ille Sol viciſſim,
Ac ſplendet radio ſereniore?
Nam poſt nubila Phœbus ut relucet;
Sic pulsâ quoque nube ſortis atræ,
Fortunæ micat alba lux ſerena.

JOANNIS GOTHARDI STREINII BAR. SCHWARTZENAVII.

S. P. E. R. A.

Sperantes Possunt Emergere Rebus Amaris.

Spera: *nam vitam ſpes ſapientis alit.*

WILHELMI BARONIS ROſENBERGII, BOHEMIÆ ProRegis.

FESTINA LENTE.

Nec nil, nec nimium: medium tenuere beati,
FESTINA LENTE *ſic, mediumque tene.*

FEſtinatio improvida eſt & cæca, ait Livius; cujus comites ſunt error & pœnitentia. Cunctatione igitur opus eſt, & conſultatione providâ: ut ea faciamus, quorum non poſſit pœnitere. Malum ſiquidem conſilium eſt, quod mutari non poteſt: & gravis eſt animi pœna, quem poſt factum pœnitet, auctore Publio: Sic & Auguſtus Cæſar hoc uſus fuiſſe ſcribitur ſymbolo: ΣΠΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ. ἀσφαλὴς γὰρ ἐστιν ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

LUDOVICI BARONIS STAREMBERGII.

VENI FORTUNA, EXHILARA SPEM.

𝔎. 𝔊. 𝔈. 𝔥.

Spero diu: FORTUNA VENI *tandem,* EXHILARA SPEM:
Spem fortuna beat, cum jubet eſſe ratam.

HENRICI BARONIS STAREMBERGII.

SI BONA, CUR NON MALA.

Melle Deus vitam ſic felleq́, temperat omnem:
SI BONA, CUR MALA NON *ſuſtinuiſſe juvet?*

QUidquid adverſi piis ēvenit in mundo, Deo ſic moderante omne evenit. Neq; enim malum eſt in civitate, quod non faciat Dominus. Semper igitur mens juſta (ait Gregorius) omnipotentis Dei laudem inter adverſa confitetur, exemplo Jobi dicentis: *SI BONA de manu Domini ſuſcepimus, MALA CVR NON ſuſtineamus*? Itaque quoniam in ſolo deſiderio æternitatis ea defixa eſt: nec proſperitate attollitur: nec adverſitate frangitur: dum nihil in mundo habet, quod appetat: nihil, quod pertimeſcat. Quin imò tantò major fiducia mentem roborat: quantò fortior hanc pro veritate anguſtat afflictio, eodẽ auctore. *Bonis* enim, ſecundùm Apoſtolum, Rom. 8. *omnia cedunt in bonum*: eſtq; tribulatio, ut Auguſtinus ait, medicamentũ ad ſalutem, non pœna ad condemnationem. Deniq; adverſitas, quæ piis contingit divinitùs, probatio virtutis eſt, non judicium reprobationis, eodem teſte Gregorio.

JOANNIS CYRIACI BAR. POLHÆMII.

AMICUS FIDUS AMICO.

Nil melius, Fido *quàm* Fidus Amicus Amico:
Sis fidus, pariter ſic tibi fidus erit.

SIGISMUNDI BARONIS HERBERSTENII.

IMPERIUM IN VIRTUTE, NON IN DECORE.

Imperium meliùs conſtat virtute, decore
Quàm forma: Rex eſt, cui Bona Diva favet.

JOANNIS FRIDERICI HOFMANNI BARONIS.

OCULUS VITÆ SAPIENTIA.

Sit mora conſiliis: Oculus Sapientia Vitæ:
Nam mora conſilium ſanius ipſa facit.

JOACHIMI BARONIS à NOVA DOMO, BOHEMIÆ Cancellarii.

VIRTUTI OMNIA PARENT.

Quæ faciunt homines, VIRTUTI *hæc* OMNIA
Imperat hæc aliis omnib⁹, ipſa ſibi. (PARENT:

SAluſtianum hoc eſt ſymbolum: Quæ homines arant, navigant, ædificant, VIRTUTI OMNIA PARANT. Neque enim ulla poſſeſſio aut vis auri & argenti pluris æſtimanda eſt, quàm virtus: auctore Tullio. Ex quo rectè Plautus: *Virtus præmiũ eſt optimum: virtus omnibus Rebus anteit profectò: libertas, ſalus, vita, res, parentes, patria, & prognati tutantur, ſervantur: Virtus omnia in ſe habet: omnia adſunt bona, quem penes eſt virt⁹.*

ADAMI BAR. à NOVA DOMO.

Vnverhofft kömpt offt.

Inopina Deus plurima peragit:
Non ſuccedunt, quæ fore ſperas.
Quæ fore nemo poſſe putaret,
Sæpe expediunt numina.

INSPERATA magis ACCIDUNT SÆPE, quàm quæ ſperes, ait Terentius. Et Plautus: *Multa præter ſpem ſcio multis bona eveniſſe.* Et Euripides in Medea: πολλ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί: καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη: τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

ANDREÆ WOLFGANGI BARONIS BUCHHÆMII.

PLUS TIBI, QUAM ALTERI.

PLUS ALIIS *de te*, QUAM *tu* TIBI *credere noli:*
Semper ſic judex eſſe memento tuus.

REctè Auguſtinus: Adulatio fallax & crudelis eſt. Plurimum ergo refert, unumquemque noſſe ſeipſum: ne adulatori plus de ſe, quàm ſibi credat. Sic & Pindarus monet Hierouem, ne vel adulatorum vel imperitorum ſermonibus ſe decipi patiatur. Et Horatius: NE CUI DE TE PLUS, QUAM TU TIBI CREDAS. Et Cato Romanus:

Cum quis te laudat, judex tuus eſſe memento:
PLUS ALIIS *de te*, QUAM *tu* TIBI *credere noli.*

GEORGII ANDREÆ BARONIS BUCHÆMII.

NIL DESPERANDUM.

NIL DESPERANDUM; *Chriſto duce & auſpice Chriſto:*
Spes bona dat vires, mœſtaq; corda levat.

DE creatore deſperare, eſt ſpem in creaturâ ponere; ait Bernhardus. Id verò planè eſt impium & abominabile. Nam eò ampliùs de divinâ miſeratione ſperandum eſt: quò magis præſidia defecerint humana: teſte Ambroſio.

JOANNIS CHRISTOPHORI JORGERI BAR. TOLETANI.

OMNIA DEI AUSPICIO.

AUSPICIO *fac* OMNE DEI: *Deus orſa ſecundat*
Sic magis, & totum ſic moderatur opus.

Omnium rerum gerendarum principium à Deo capere, & pium & laudabile eſt: ſiquidem, auctore Plinio, *nihil rite nihilq; prudenter, ſine Dei immortalis ope, conſilio & honore auſpicamur.* Unde & Plato in LL. τὸν θεὸν πρὸς τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλεῖσθαι δεῖν ſcribit: & Livius Romanam civitatem omnibus rebus incipiendis deos adhibuiſſe memorat. Sic & Juſtinianus Imp. Nov. 109. omnem à Deo legiſlationem pendere, & ad hunc unum reſpicere, adeoque hoc ejus principium, & medium, & finem eſſe debere monet. Sic enim ait: προσήκει τὰς νομοθεσίας τὰς ἡμετέρας ἐκεῖθεν ἠρτῆσθαι, καὶ εἰς αὐτὸ ἐφορᾶν, καὶ ταύτην ἀρχὴν αὐτῶν εἶναι, καὶ μέσον, καὶ πέρας.

GEORGII ACHATII BAR. LOSENSTENII.

VIDEAS CUI FIDAS.

CUI FIDAS, VIDEAS: *non cuivis fidere tutum:*
Multa ſub ignoto pectore menda latet.

VICTORIS ab ALTHAN

LIB. BAR. GLAUBURGII.

SEIPSUM VINCERE PALMARIUM.

Sibi imperare poſſe, imperium eſt maximum:
Se vincit ipſum, qui ſibi rectè imperat:
SE VINCERE IPSUM *ſic meritò eſt* PALMARIUM.

PLatonis ſententia eſt: ἑαυτὸν νικᾶν, μεγίστη καὶ καλλίστη νίκη. Secundùm quam ſententiam etiam Philto ſenex apud Plautum pronunciat: *Qui animũ vincunt, quàm quos animus, ſemper probiores cluent.* Et M. Cicero pro M. Marcello: Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modò extollere jacentem; ſed etiã amplificare priſtinam eius dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum ſummis viris comparo: ſed ſimilimum Deo judico.

WILHELMI ab HANXELER

BAR. HERSTALLII. (UNT.
PRÆDESTINATA NEMINEM PRÆTERE-

Fando quæ rata cunque facit divina voluntas,
PRÆDESTINATA NEMINEM
PRÆTEREUNT: *fiunt tandẽ, fiantq́ue, neceſſe eſt,*
Quæ vult ſemel fieri Deus.

BALTHASARIS BARONIS KITLIZII.

W. M. G. W.

Was mein Gott wil.

Quod vis, *hoc volo nempe* Deus: *tua ſancta voluntas*

Sit rata: ſi non vis, jam quoq́, nolo Deus.

BEne velle, Dei donum eſt, inquit Auguſtinus: à quo uno bona voluntas petenda eſt: cui omnes adhærent virtutes: eodem auctore. Quod ita rectè fit, cum voluntatem ſuam homo voluntati ſubjicit divinæ, & cum Auguſtino quotidie orat: *DOMINE da, quod jubes: & jube, quod vis.* Nam voluntatem Dei ſcrutari ſanè tutum eſt: majeſtatem verò, temerarium ac formidandum: auctore Bernhardo.

ADAMI BARONIS KITLIZII.

Leid vnd Meid.

Summam qui Sophiæ docet duobus

Verbis: jure Sophus putandus hic eſt.

Sunt hæc: Sustine et Abstine. *quid*

Suſtine bonum, & abſtine à malo: vel (iſtud?

Sustine *Deum*, et Abstine *abs te ipſo.*

Epicteti ſymbolum recitat Gellius lib. 17. c. 19.

ἀνέχου καὶ ἀπέχου: Sustine et Abstine.

HENRICI BARONIS
PROMNIZII.
Mir gnügt / wie es Gott fügt.
QUOD MIHI DAT DEUS, *hoc* SATIS *eſt: nihil amplius opto:*
Quod ſatis eſt, gratâ ſic ego ſumo manu.

HENRICI ANSHELMI BAR.
PROMNIZII.
IN VIRTUTE DELPHINUS.
G. V. M. G.
In vitio tardus, ſis IN VIRTUTE *celer ceu*
DELPHINUS: *virtus nobilis una beat.*

CAROLI BARONIS
ZEROTINI.
OMNIA DEO, FORTUNæ NIHIL.
Fortunam, quisquis volet, invocet impius: ipſe
FORTUNÆ NIHIL *hic*, OMNIA *mando* DEO.

JOANNIS BARONIS
CUNOWITII.
Gott begnade Hoffnung.
SPEM DEUS *ô fac eſſe ratam, votumq́;* SECUNDA:
Solus ſpem placito ſine beare potes.

MAURICII CHRISTOPHORI KEVENHULERI ab AICHELberg Baronis Landscronii.

QUO MAIOR, EO MINOR LICENTIA.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimē habet: quantò major, qui peccat habetur.

SAluſtii locus egregius eſt in Conjur. Catilinæ: ex quo ſymbolum hoc depromtum eſſe videtur: Aliis (inquit) alia licentia eſt. Qui magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt: eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maximâ fortunâ minimi licentia eſt: neque ſtudere, neque odiſſe, ſed minimè iraſci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur: ea in imperio ſuperbia atque crudelitas appellatur. Sic & Naſo:

Non eadem vulgusque decent, & lumina rerum.

Et Agamemnon apud Euripidem:

— προστάτην γε τοῦ βίου
τὸν δῆμον ἔχομεν, τῷ δ' ὄχλῳ δουλεύομεν.

CHRISTOPHORI POPELII BAR. LOBCOVITII.

FORTES PROBANTUR IMPETU.

Magnum periclum ignavum haud admittit virum:
Fortes Probantur impetu,

ERNESTI BARONIS
IN ECKH.
ARTE, NON FORTUNA.

ARTE *geri* NON FORTUNA, *res cenſeo magnas:*
Nam ſibi fortunam, qui ſapit, ipſe facit.

WOLFGANGI BAR. IN ECKH.

F. G. T. R. N. R. I.
Fürcht Gott. Thue Recht.
Nicht richt Jederman.

Si cupis ingenuus, conſtans, & apertus haberi:
Conveniant lingvæ facta manusq́ tuæ.

JOANNIS ANDREÆ BARONIS WOLFSTENII & SULTZBURGII.

G. W. M. Z.
Gottes Will/ Mein Zil.

SI VULT, FIAT *id omne,* DEUS: *ſi denique non vult,*
Quod vult, hoc unum fiat ubique DEUS.

*

Quidquid vult Deus, eſto ratum: nam ſancta voluntas
Sola Dei: qui vult & facit omne bonum.

HENRICI WENCESLAI BARONIS KREIGII.

Vntrew viel.

Nuſquam tua fides: fraudis ſunt omnia plena,
Perfidiaque. Deo fidere, tuta fides.

GEORGII MEHLII BARONIS GREIFENSTENII.

VINCE TEIPSUM: CÆTERA VINCES.

VINCE *animos iramq́; tuã: ſic* CÆTERA VIN-
Seipſum qui vincit, cætera vincit homo. (CES:

Briſeidis vox eſt ad Achillẽ apud Naſonem:
Vince animos irãq́; tuã, qui cætera vincis:
ſumta ex Homeri Iliad. 9.

Ἀλλ᾽ ἀχιλεῦ δάμασον θυμὸν μέγαν: οὐδέ τι σὲ χρὴ
νηλεὲς ἦτορ ἔχειν. Nam, ſecundùm Publiũ
Bis vincit, qui ſe vincit in victoriâ.
imò, eodem auctore,
Effugere cupiditatem, regnum eſt vincere.
Unde & Plato vincere ſeipſum non in optimis ſolùm, ſed neceſſariis numerans: νίκαι (inquit) δύω κάλλισαι, τὸν ἑαυτὸν, καὶ τὸν σοῦ πιοῦντα νικῆσαι.

FERDINANDI KHUEN à BELASI BARONIS NOVI-Lempachii.

All mein Anfang mit Gott.

PRINCIPIUM DEUS OMNE MEUM, *fi-niſque ſit, opto:*
Quidquid ago, rectè, quo duce cedit opus.

ΑΡχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν: ut eſt in Senario Nazianzeni. Sic & Plato epiſt. 8. monet, omnium rerum à DEO immortali principia ducere: & Socrates in Oeconomico Xenophontis, ΣΥΝ ΘΕΩ ἄρχεσθαι δεῖν παντὸς ἔργου. Et M. Cicero lib. 2. de LL. A Diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. Et Maro:

A JOVE PRINCIPIUM Muſæ: Jovis omnia plena.

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

QUantum non ſolùm ad ingenii cultum, & morum elegantiam, ſed & ad vitæ integritatem quandam, Reique publicæ adminiſtrationem conducant libri politici & gnomologici; qui præcepta dant vitæ & ſapientiæ civilis: præter alios complures, divina illa apud Salomonem Sapientia in Proverbiis teſtatur: ad eorundemque lectionem atque auſcultationem aſſiduam Reges imprimis & Principes cohortatur: *Audite* (inquiens) *meos ſermones: & diſciplinam atque ſcientiam meam præ argento & auro lectiſſimo amplexamini. Per me Reges regnant: & per me Principes jus & juſtitiam adminiſtrant.* Probè hoc intelligens ſecumq; perpendens Vir Magnificus, Nobiliſſimus, & Ampliſſimus NICOL. REUSNERUS J. C. & Comes Palatinus Cæſareus, ante complures annos non ſolùm tripartitum illud opus Symbolicum, in quo omnium Impp. Romanorum Cæſarum ad noſtra uſque tempora dicteria & quaſi Symbola leguntur, publici juris fecit: ſed nec minori curâ atque diligentia

 alio-

aliorum quoque Regum, Principum, Comitum & Baronum ſymbola conquirere, ſententiisque pulcerrimis illuſtrare cœpit: ſed quod opus, partim quia magis laborioſum quàm ingenioſum erat, partim quia omnium Germaniæ procerum, ut in votis habebat, ſymbolorum particeps fieri non poterat, partim denique gravioribus occupatus ſtudiis & negotiis, imperfectum reliquit. Hoc qualecunque opus, ne periret, ab ipſius obitu recognoſcendum, & quantum licuit, ſupplendum ſuſcepit frater ejus germanus Elias Reusnerus, Hiſtoriarum & Poëſeos in Salanâ Profeſſor publicus: cujus lectionem ut nemini infructuoſam, ita nec ingratã aut injucundam fore ſpero, ac imò potius confido. Vale, mi Lector: & quod Flaccus Numicium monet,

. — Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

Cæterùm ne pagellæ aliquot relinquerentur vacuæ: Reusnerorum fratrum germanorum, qui utilem hanc nobis in conquirendis & illuſtrandis Symbolis Heroicis navarũt operam, Symbola coronidis loco placuit adjungere.

NICOLAI REUSNERI JC.
COM. PALATINI CÆS.
Ex Pſal. 118.
FORTITUDO, ET LAUS, ET SALUS MEA DOMINUS.

Quòd te laudo, Deus: quòd per te vivo redẽt⁹;
Non opis humanæ, numinis omne tui eſt.
Tu Mea Laus, *mea certa* Salus, *mea magna* Potestas.
Quid reliquum? quòd ſum, ſim, Deus, omne tuum.

*

Optima res, laudare Deum: laus cœlitus illa,
Et cum laude fides vera, ſalusque datur.
Sit Leo virtutis, Frons laudis, Cruxq; ſalutis
Sit nota: queîs Judæ dux Leo Christus ovat.
O par ſit laudi tantæ vis atque facultas,
Me ſcio perpetuâ poſſe ſalute frui.

κατ' ἀνάγραμμα.

NICOLAUS REUSNERUS JURIS UTRIUSQUE DOCTOR, ATQUE COMES PALATINUS CÆSAREUS.

Qui Mea Laus, *rector,* Virtus, *ô* Jova *Creator,*
In curis nunc es ſpes, Deus, atque Salus.

E. R. L.

EJUSDEM.

ΦΕΡΕ ΚΑΙ ΦΕΡΟΥ.

Quod Fors fert, patiens FER ATQUE FERRE.
Nam ſi fers malè, tu malè ipſe ferris:
Sic bis fers malè, ferre quod neceſſe eſt.

De eodem P. Meliſſus.

Anxia perpetuat cum ſollicitudo laborem:
Ærumnæq; graves laſſula membra premunt:
FER, ſic FERRE; iterat mens ſecum. Nec mora, miſſam
De ſuperis promtè ſentit onuſtus opem.
Sublevat oppreſſum Tolerantia, duraq; paſſam
Seſe ipſa haud patitur ſuccubuiſſe malis.
O rem prodigio ſimilem! Qui fers mala, ferris
Tam benè ab his, ut in his cuique bono bene ſit.

De eodem Mart. Cruſius.

Qui peccet, qui nos lædat, reperitur ubique:
Hos tamen adverſus FER medicina valet,
Ferre hominum mores varios prudentis habetur:
Iſta ſuâ nec res utilitate caret.
Si tu fers alios, aliis tu FERRE viciſſim:
Ceſſio amicitiam talis utrinque ligat.
Quàm bene pulcra monet vox, FER ſic FERRIS, utrumque,
REUSNERE: hæc curæ ſit modò cuique pio.

ELIÆ REUSNERI L.
ex Pſal. 27.
DOMINUS LUX ET SALUS MEA: QUEM TIMEBO?

Cur trepidem? METUAM QUID *& à quo denique? Nam tu,* (MEA.
Mi DEUS *(en!)* LUX *es vita* SALUSQUE

*

Si LUX ATQUE SALUS MEA es JEHOVA:
Te quod Symbolon hoc meum celebrat:
Cur pectus quatiat tremor vel angor?
Num mortem, Satanam, inferos timebo?
Non ſic. NIL METUAM, nec expaveſcam:
Nam LUX ATQUE SALUS MEA es JEHOVA.

κατ' ἀνάγραμμα.

ELIAS REUSNERUS LEORINUS HISTORIARUM ET POETICES PROFESSOR IN SALANA PUBLICUS.

LUMEN *ô ac robur cineri ſis, plena vel ipſe*
Spes, turris fortis, NOSTRA JEHOVA SALUS.

*

ELIAS REUSNERUS LEORINUS MEDICINÆ LICENTIATUS, HISTORIARUM IN SALANA PROFESSOR.

Præſidio anniſus CHRISTI, *terrore tremiſco*
Nullo: ſis animæ (en!) viva ſerena ſalus.

EJUSDEM.

CONFIDE RECTE AGENS.

RECTE AGE, *quidquid agis: cauſæ* CONFIDE, DEOqúe:
Hoc duce, de Codro victor abibis ovans.

*

RECTE AGE *læto animo: rumpantur ut ilia Codro.*
FIDE DEO: *tuus (en!) ipſe patronus erit.*

Traw Gott/ Thue Recht/ Gerecht vnd Schlecht/
Er kan vnd wil dir ſchaffen recht.

*

RECTE AGO: FIDO DEO. *quid me dente, improbe, rodis?*
Sum purus ſceleris: tu Sycophanta manes.

FINIS.

SYM-

SYMBOLORUM HEROICORVM IN LOCOS Communes juxta ordinem Alphabeticum digeſtorum, INDEX.

AFFECTUS.

Affectum ratio temperet. 197.

AMICITIA.

Fide & amicitiâ. 163.

Amicus fidus amico. 250.

AMOR. Lieb iſt Leides anfang. 179.

ARMA. Literis & armis. 199.

Conſilio & armis. 111.

ARS. Arte, non fortunâ 258.

AUDACIA. Audentes fortuna juvat. 57.

Ich wags / Gott vermags. 220.

Αὐτάρκεια. Ie me contente. 178.

Contentement paſſe richeſſes 218.

Mir gnügt / wie es Gott fügt. 256.

BENEFICENTIA.

Regium eſt, omnibus benefacere. 53.

Sua alienaque pignora nutrit. 28.

BONA. Bona ſoli bono bona. 241.

CAUSA. Nihil ſine cauſa. 118.

Rien ſen cauſa. Nichts ohn Vrſach. 209.

Tandem bona cauſa triumphat. 45.

CAUTIO, Εὐλάβεια.

Allzeit mit Hut. 2.

CHRISTUS.
Chriſtus meum aſylum. 75.
Chriſtus ſpes una ſalutis. 131.
Vita mihi Chriſtus. 228.
Chriſtus mein Leben. 215.
Chriſtus mein Leben / Sterben mein Gewin. 214.
Ich weiß / daß mein Erlöſer lebet. 247.
Ora pro nobis Jeſu Chriſte. 66.
Per crucem tuam ſalva nos Chriſte redemtor. 17.
Chriſti Blut / Mein Erbgut. 181.
Illumina oculos meos Domine. 76.
Te gubernatore. 44.
Scopus vitæ Chriſtus. 236.
Benedictus, qui venit in nomine Domini. 129.
CLEMENTIA.
Nihil altum, quod non placidum 171.
CONCORDIA.
Parvis dives concordia rebus. 222.
Fried nehrt / Unfried verzehrt. 88. 240.
CONJUGIUM.
Adams Ripp und Rebenſafft. 206.
CONSILIUM.
Conſilium ante rem. 220.
Ehe wiegs / denn wags. 126.
Conſilio & armis. 111.
Rathen und Reuhen thuts. 167.
CONSTANTIA.
Conſtanter & ſincerè. 38.

Nec ſpe, nec metu. 9.
Manet altâ mente repoſtum 133.
CRUX. Premente cruce tollimur 120.
CUNCTATIO prudens. Pas à Pas. 26.
CURA. Allzeit in Sorgen. 148.
DEUS ADJUTOR ET PROTECTOR.
Deus adjutor meus. 239.
Suſceptor meus Deus. 146.
Dominus protector meus. 159.
Dominus protector meus, à quo trepidabo? 229.
Protector in ſe ſperantium Deus 31.
Fortitudo, & laus, & ſalus mea Dominus. 263.
Dominus lux & ſalus mea: quem timebo? 265.
Dominus turris & ars mea. Alles Gott befohlen. 230.
Sis mihi Deus in turrim fortitudinis. Gott traw ich. 230.
Dominus exercituum nobiſcum 32.
Dominus paſtor meus. 222.
Propè eſt Dominus. 156.
Si Deus pro nobis, quis contra nos? 93
Quis contra nos? 64.
Gott iſt mein Erretter. 25.
Auxilium meum à Domino 214.
Gott mein Hort/ Hie vnd dort. 190.
Adſit. 7.
Pars mea Dominus. 149.
Fer opem Domine, qui ſpem dediſti. 121.
Bewahr mich HErr. 194.
Gott verleſſt die Seinen nicht. 102.
Gott weiß die zeit. 124.

Hilff Gott zur Seligkeit. 124.
Domini eſt ſalus. 25.
Elend/ mein Gott wend. 159.
Gott wend es zum beſten. 220. 234.
Omnia in bonum. G. W. A. Z. B. 216.

DEUS BONORUM FONS.
Gott mein Gut. 146.
Deus dat, cui vult. 24.
Gott gibt/ Gott nimpt. 125.
Alles von Gott. 12. 107. 119.
Deſuper dona dantur. 153.
Gott hats beſchert. 185.
Was Gott beſchert/ bleibt vnerwehrt. 138
Cor mundum crea in me Deus. 196.
DEUS CONSOLATOR.
Gott mein Troſt. 213.
En Diou mà conſolation. 80.
Zu Gott mein Troſt. 104.
Zu Gott iſt vnſer einiger Troſt allein. 104.
Gottes Gnad mein höchſter Troſt. 121.
DEI CONSILIUM.
Gottes Rath der beſte. 210.
Gottes Rath am beſten. 145.
DEI GLORIA. Mea Deus gloria. 223.
Tua eſt, ô Deus, gloria. 64.
Tibi Deus ſoli gloria. 154.
Non nobis Domine, non nobis. 23.
Chriſto ſoli laus & honor. 237.
Soli Deo gloria. 59. 82.
Allein Gott die Ehre. 200.

Allein Gott die Ehre/ vnd ſonſt niemand. 238.
Alles zur Ehre Gottes. 150.
DEI GRATIA ET MISERICORDIA.
Tua gratia mecum Domine. 122.
Gott Gib Gnad. 195. 209.
Ach Gott begnade. 196.
Miſericordiâ Dei nitor. 236.
Miſericordiæ tuæ multæ Domine. 113.
Gottes Huld/ mein Vnſchuld. 161.
Fac me unum ex mercenariis tuis. 167.
DEI JUSTITIA.
Tibi, ô Domine, juſtitia. 30.
DEI NOTITIA.
Principis eſt virtus maxima, noſſe Deum, 123.
DEI POTENTIA.
Alles in Gottes Gewalt. 108.
Ich wags / Gott vermags. 228.
Dextra Dei, ſors mea. 115.
Nihil arduum fatis. 37.
DEI PROVIDENTIA.
Dominus providebit. 5.
Dieu provoyera. 234.
DEI TIMOR.
Initium ſapientiæ, timor Domini. 55. 132. 184.
Die Furcht des HErrn iſt ein Kron der Weißheit. 151.
Timor Domini fons vitæ. 16.
Time Deum. 242.
Deum verere. 190.
Deum reverere timeque. 185.

Hab Gott vor Augen. 73.
Ama & time. 175.
Deum time, Regem honora. 49. 77.
DEI VERBUM.
Verbum Domini manet in æternum. 41. 134.
Gottes Wort bleibet ewig. 157.
Nur Gottes Wort gewiß. 136.
Allein Evangelium Iſt Ohn Verluſt. 83.
Regier mich Gott durch dein Wort. 39.
HErr erhalte mich bey deinem Wort. 47.
HErr leite mich in deinem Wort. 86.
Gottes Wort mein Hort. 181. 203.
DEI VOLUNTAS.
Fiat voluntas Domini. 237.
Fiat voluntas tua Domine. 155.
HErr dein Will geſchehe. 169.
HErr nach deinem Willen. 36.
Fiat divina voluntas. 106.
Gottes Will geſchehe. 19.
Ach Gott ſchaff deinen Willen. 20.
Omnia ex voluntate Dei. 6.
Alles nach Gottes Willen. 54. 166.
Nach Gottes Willen gehets. 135.
Volente Deo volo. 186.
Gottes Will/mein Ziel. 158. 258.
HErr lehr mich deinen Willen thun. 84.
HErr wie du wilt. 85.
Wann Gott wil. 196.
Was mein Gott wil. 255.
Gott hats gewolt. 173.
O Gott gewehr/was ich begehr. 72.
Quo fata trahunt. 62.

DEUS adſpiret cœptis 137.
Omnia Dei auſpicio. 252.
All mein Anfang mit Gott. 260.
Deo duce, comite virtute. 173. 231.
Alles Gott befohlen. 218.
Omnia Deo, fortunæ nihil 256.
In Deo virtutem. 246.
Quæ Cæſaris, Cæſari; quæ Dei, Deo. 94.
DILIGENTIA.
Spartam, quam nactus es, orna. 130.
ECCLESIA.
Navem tuam Chriſte tuere. 68.
Te gubernatore. 44.
Dum totum compleat orbem. 12.
EVENTUS.
Wems gereth/ der lob es. 232.
EXPERIENTIA.
Nichts vnverſucht. 70.
Vnverſucht/ vnerfahren. 232.
FAMA BONA.
Mit Gott vnd Ehren. 1 3.
Nomen præ opibus. 223.
Beſſer Gutloß/ denn Ehrloß. 240.
FIDES CHRISTIANA.
Juſtus ex fide vivet. 56.
Gratiâ fidei juſti cœlum habent. 231.
Bonum eſt confidere in Domino. 125.
In te Domine confido. 143.
Deo confido 215.
Fido Chriſto Salvatori. 192.
Ich getraw Gott in aller Noth. 140.

Jch traw Gott. 230. 237.
Allein Gott traw ich. 109.
Auff dich HErr traw ich. 114.
Mein Vertrawen allein zu Gott. 221.
Zu Gott mein Zuverſicht. 110.
Traw Gott in allen dingen. 211.
Gott vertrawt/ Wol gebawt. 147. 226.
Fide & Amicitia. 163.
FIDES POLITICA.
Fide, & vide. 46.
Vide, cui fidas. 66. 253.
Fide, ſed cui? Vertraw/ vnd nicht zu viel. 42.
Vertraw/ Schaw wehm. 158. 230.
Sihe vor dich/ Trew iſt mißlich. 240.
Trew iſt mißlich. 228.
Trew iſt Wildprädt. 21.
Vntrew viel 259.
Plus tibi, quàm alteri. 252.
Sine fraude. 187.
FINIS. Reſpice finem. 142.
Finem vitæ ſpecta. 196.
FORTIS. Fortes probantur impetu, 257.
Fortem exarmat fortior. 98.
FORTUNA. Audentes fortuna juvat. 58.
Fortes fortuna adjuvat. Vielleicht glückt mirs auch. 43.
Sperando. Jch erwarte des Glücks. 176.
Veni fortuna, exhilara ſpem. Kom Glück / erfrew Hoffnung. 248.
Gott gib Glück mit Frewden. 114.
Dextera Dei, ſors mea. 115.

Omnia Deo, fortunæ nihil. 256.
Kein Glück ohn Neid. 203.
Arte, non fortunâ. 258.
Fortuna rotunda. 181.
Fortunæ in utraque fortúnâ memor. 216.
Neſcis, quid ſerus veſpar vehat. Einen ſchönen Tag lob vmb den Abend. 225.
Soles occidere & redire poſſunt. 247.
In ſecundis prudens, in adverſis cautus 233.
FRAGILITAS.
Alles ding zergänglich. 37.
FUGA. Regium eſt vincere, non fugere. 2[illegible].
GLORIA. HONOS.
Creſcit laudata virtus. 229.
Umbra non cedit Soli. 170.
HUMANITAS.
Multa aliis, nihil tibi. 245.
Nemo ſine crimine vivit. 177.
HUMILITAS.
Nòli altum ſapere. 160.
INGRATITUDO.
παλαιᾶ εὕδει χάρις. 188.
Malo bonum compenſare nefas. 186.
INSATIABILITAS.
Unus non ſufficit orbis. 13.
INTEGRITAS.
Schlecht vnd Gerecht. 112. 181.
Sincerè & conſtanter 38.
Confide, rectè agens. 103. 245. 266.
Thue Recht/ Fürcht Gott. 247.
Thue Recht/ Laß Gott walten. 103.

Fürcht Gott / Thue Recht / Nicht richt Jederman. 258.
Quod videri vis, eſto. 224.
INVIDIA.
Invidia felicitatis comes. 232.
Sic quieſco, 165.
Nutriſco & extingvo 11.
JOCUS. Schertze nicht mit Ernſt. 144.
IRRISIO. Nicht ſpotte mit Gott. 242.
JUSTITIA.
Juſtitia exaltat gentem. 79.
Juſtitiâ ſtabilitur thronus 78.
Judicio & Juſtitiâ. 52.
Fiat Juſtitia, & pereat mundus. 4.
Diligite Juſtitiam, qui judicatis terram. 8. 146.
Juſtus non derelinquetur. 63.
Juſtum non vidi derelictum. 103.
LEX. Lex juſto non eſt poſita, 143.
LICENTIA. Quò major, eò minor licentia. 257.
LITERÆ. Literis & armis. 199.
MATURATIO.
Feſtina lentè. 174. 248.
Feſtinandum, ſed lentè, 138.
Eile mit weile. 223.
Sat citò, ſi ſat benè. 224.
Quod citò fit, citò perit. 117.
MEDIOCRITAS. MODUS.
Moderata durant. 112. 229.
Ne quid nimis. 105. 202.
MEDIUM. Tout per moyen, Per medium. 178.

MILI-

MILITIA. Militemus. 61.
MORS. Vive memor lethi. 74.
Diſſolvi cupio, & eſſe cum Chriſto. 175.
Certum eſt & inevitabile fatum. 208.
Plus tot mouror, 166.
NEGOTIA.
Sapientiæ otia, negotia. 205.
NOBILITAS.
Sola virtus nobilitat. 230.
Virtute decet, non ſangvine, niti, 192.
Virtute, non ſangvine. 222.
NOTITIA SUIIPSIUS.
Cognoſce teipſum. 183.
Tecum habita. 243.
Multa aliis, nihil tibi. 245.
Cum Principe non pugnandum. 190.
PATIENTIA.
Durum patientia frango. 239.
Dulce amarum patientia. 65.
In ſpe patientia. 220.
Gedult mit Hoffnung. 217.
Patientia cum innocentiâ. 182.
Gedult in Unſchuld. 159. 181.
Patience aude innocence. 167.
Leid und Meid. 255.
Φέρε καὶ φέρου. 264.
Si bona, cur non mala? 249.
PAX. Pax optima rerum. 217.
Pax humili, ſuperbo bellum. 10.
Da pacem Domine. 91.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. 87.
PIETAS. Pietas ad omnia utilis. 226.
Pietas tutiſſima virtus. 48. 122.
Pietate & juſtitiâ. 14.
Regna firmat pietas. 22.
POENA. PRÆMIUM.
Præmio & pœnâ. 162.
PRÆDESTINATIO.
Prædeſtinata neminem prætereunt. 254.
PRUDENTIA.
Tantum, quantum poſſum 40.
Plus penſer, que dic. Plus cogita quàm loquere. 116.
Quæ nocent, docent. 204.
Alieno periculo ſapere, optimum. 196.
Alienâ inſaniâ frui, optimum. 127.
PULCHRITUDO. RARITAS.
Quò carior, eò clarior. 50.
Omnia præclara, rara. 219.
RATIO. Affectum ratio temperet. 197.
REX. PRINCEPS.
Rex eſt, qui metuit nihil. 207.
Honor Regis, judicium diligit. 27.
Aquila Electa Iuſtè Omnia Vincit. 1.
A Deo: pro Imperio. Deum time: Cæſarem honora. 49.
Quæ Cæſaris, Cæſari: quæ Dei, Deo. 94.
Pro lege & grege. 92.
In utrumque paratus. 18.
Marte vel arte. 128.

Hic regit, ille tuetur. 10.
Infeſtus infeſtis. 154.
Alia ex aliis. 183.
SAPIENTIA.
Oculus vitæ ſapientia. 250
Rerum ſapientia cuſtos. 224.
Vincit ſapientia robur. Weißheit gehet vor Stercke. 90.
SIMULATIO. Simulatum nihil diuturnum. 191.
SORS. Dextera Dei ſors mea. 115.
Es mag noch wol gerathen. 69.
SPES. Spes mea Chriſtus. 18. 174. 244.
Chriſtus ſpes mea ſalutis. 131.
Unica ſpes mea Chriſtus. 109.
Deus ſpes mea, non confundar. 226.
In Dominum ſperò. 215. 231.
In Deo ſperabo. 198.
En Diou ſoul mou eſpoyr. 194.
Mein Hoffnung zu Gott. 141. 212. 213. 226. 227.
Ich hoff zu Gott. 235.
Gott begnade Hoffnung. 256.
S. P. E. R. A. 247.
Nil deſperandum. 252.
Sperando, Ich erwarte des Glücks. 176.
Eſpoyr me confort. 195.
In ſpe & ſilentio. 152.
In ſpe & virtute. 224.
In ſpe patientia. 220.
Gedult mit Hoffnung. 217.
Inter ſpem & metum. 179.
Unverhofft kömpt offt. 251.

SUPERBIA. Deus ſuperbis reſiſtit. 235.
TEMPUS, All ding ein weil. 51.
Alles zu ſeiner zeit. 95.
Mit der Zeit. 35.
Z. B. R. Zeit bringt (bricht) Roſen. 219. 239.
Die Zeit bringet alles. 211.
TRANQUILLITAS.
Tranquillitas felicitas ſumma. 232.
TURPITUDO. Intuta, quæ indecora. 163.
VERITAS. Durat & lucet veritas. 244.
Premitur, non opprimitur. 223.
VEXATIO. Vexatio dat intellectum. 232.
VICISSITUDO. Poſt nubila Phœbus. 165.
VICTORIA. De cœlo victoria. 34.
Amat victoria curam. 60. 180.
Vince teipſum, cætera vinces. 269.
Scipſum vincere, palmarium. 254.
Una ſalus. 56.
VINUM. Adams Ripp vnd Rebenſafft. 206.
VIRTUS. Ipſa ſibi pretium virtus. 172.
Creſcit laudata virtus. 229.
Vincit vim virtus. 37.
Tendit in ardua virtus. 220.
Vireſcit vulnere virtus. 168.
Elend nicht ſchad/ Wer Tugend hat. 107.
Plus ultra. 3.
Vivit poſt funera virtus. 91. 139.
Virtus poſt fata ſuperſtes. 89.
Deo duce, comite virtute. 173. 231.
Nechſt Gott die Tugend. 241.
ἀρετῆς τιμὴ ἀκήρατος. 165.

Umbra non cedit Soli. 170.
Virtuti omnia parent. 251.
Sola virtus nobilitat. 238.
Virtute decet, non ſangvine, niti 192.
Virtute, non ſangvine, 222.
Imperium in virtute, non in decore. 250.
Invia virtuti nulla eſt via. 81.
In virtute Delphinus. 256.
Virtutis comes invidia. 176.
Nutriſco, & exſtingvo. 11.
VITA. Vivitur ingenio. 180.
Mein Zeit mit Vnruhe. 99.
Aliis inſerviendo conſumor. 100.
Aliis ſervio, meipſum contero. 101.
Finem vitæ ſpecta. 201.
Scopus vitæ Chriſtus. 236.
VITA ÆTERNA.
Manet ultima cœlo. 15.
Allein Bey Chriſto Die Ewige Frewd. 184.
VOLUPTAS.
Nulla eſt ſincera voluptas. 228.
Kein Frewd ohn Leid. 97.
Lieb iſt Leides anfang. 179.

FINIS.

IENÆ,

Ex Officina Chalcographica CHRISTOPHORI LIPPOLDI.



ANNO

M. DC. IIX.

A01 1466889

~~L. 117:~~
L. 116.